DE

CYCLO EPICO POETISQUE CYCLICIS

COMMENTATIO PHILOLOGICA,

AB

ILLUSTRISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
IN ACADEMIA BORUSSICA RHENANA
PRÆMIO ORNATA.

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB EODEM ORDINE LEGITIME IMPETRANDOS

RETRACTAVIT

FRANCISCUS WÜLLNER,
VESTFALUS, SEMINARII REGII PHILOLOGICI IN EADEM ACADEMIA NUPER SOCIUS.

ACCEDUNT EXCERPTA EX PROCLI CHRESTOMATHIA ET FRAGMENTA ALIQUOT CYCLICORUM CARMINUM.

MONASTERII,
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA COPPENRATHIANA.
MDCCCXXV.

Q
ra
ru
te
p
q
a
p
e
g
p
q
s
e
i
o
I
t
s
a

Praefatio.

Quum nuper in Academia Borussica Rhenana, litterarum alma nutrice, ad studium antiquarum litterarum et artium me applicassem iisque vix per annuum tempus operam navarem: Illustrissimus Philosophorum Ordo praeter alia quaestionum argumenta, quae, ut ex voluntate Regia sapienter institutum est, ad excitanda ingenia civium Academicorum quotannis proponi solent, etiam commentationem de Cyclo epico poetisque Cyclicis desideravit. Quod argumentum quum non sine cura aliqua et diligentia pertractassem quumque nova quaedam et meliora, quam quae alios tradere videbam, exploravisse mihi visus essem: libellum hac de re conscriptum examini eiusdem Ordinis Illustrissimi submisi et non indignus iudicatus sum, qui praemio ornarer. Hoc opusculum paulo accuratius limatum ac politum perpaucisque rebus auctum reipublicae litteratae nunc trado atque benevolentiae lectorum, si ea non prorsus indignum illud est, valde commendo. Quibus autem subsidiis adiutus sim, quoniam ea religiosissime

ubique nuncupavi, ex libello ipso facile intelligetur. Sed ne quid iniuste neglexisse videar, unum hoc loco monere debeo. Duae in Gallia de cyclo epico et poetis cyclicis dissertationes conscriptae sunt, quas ego nusquam putavi commemorandas esse. Alteram, quam Bouchaud confecit, ut nanciscerer mihi non contigit; neque postquam a Creuzero (v. Graec. Art. Histor.) eum Schwarzii plagiarium existimari vidi, magnopere illam desideravi. Alterius auctor Levesque esse dicitur. Legitur haec dissertatio, levissime conscripta, in Mémoires de l' Institut National; Littérature Tom. I. p. 337 — 343. Vix quidquam aliud inde discere poteris, quam peut-être, on croit, et declinationem verbi pouvoir. At ne dicas, me in eodem vitio deprehendi meumque illud videtur singulis in paginis, vel saepius etiam, occurrere. Utroque libello perlecto, quidquid tibi placeat, iudices. Ceterum nolui, ut multorum hodie mos est, incerta tamquam certissima pronuntiare: ne scilicet oratio deformetur atque rationibus et argumentis non prolatis nova et inaudita dici ac praedicari possint. Contra id semper curavi, ut nihil pronuntiarem nisi argumentis subiunctis. Quoniam autem argumentum, quod pertractandum mihi sumsi, eiusmodi est, ut nonnisi antiquarum litterarum historia penitus percepta scriptisque fere omnibus pertractatis bene elaborari possit (nam propter exiguitatem materiae acerrimum ingenium magna doctrina adiutum requiritur ad discernendum, qui loci per scripta antiqua dispersi ad expla-

nandum argumentum facere aliquid possint); ausus non essem hunc meum libellum docti lectoris examini subiicere, nisi paululum saltem hanc quaestionem promovisse mihi viderer. Hanc vero laudem ab aequo iudice consecuturum me esse non diffido. Alii sane aliter, atque ego, de cyclo epico sentient, et fortasse rectius. Atque hoc eo confidentius possum vaticinari, quod ipse magnum numerum somniorum (qualia mihi videbantur) de eo somniavi, quae suppressi, quum nihil haberem, quo possint probabilia reddi. Aliquis fortasse Philostratum (Ep. XIII.) adversus me proferet, vel alios etiam locos, mihi ignotos. Philostrati autem locum consulto omisi, quoniam is ad cyclum epicum nequaquam pertinet. Ceterum autem doctis hominibus spem excitare possum, Lobeckium, virum illum doctissimum, aliquando hanc de cyclo quaestionem explanaturum esse. Namque omnes, qui in antiquis scriptis de cyclo leguntur, locos collectos habet. Cuius singularem humanitatem, Huellmanno adhortante, V. Cl., ex quo illud audivi, de communicatione eorum precibus adissem, si mihi sperare licuisset, me posse recte iis uti.

Iam vero tempus est, ut magnis illis viris, quorum e disciplina prodii, gratias agam quam maximas. Si quid enim in me est sive doctrinae sive excultarum virium, id mihi totum et integrum ad eos deferendum esse gratissimo animo profiteor palamque testor. Quare si Vos, Almae Rhenanae ornamenta et

lumina, Heinrichi, Brandis, Huellmanne, Naeki, Welckere, Schlegeli; et Vos, Berolinensis universitatis principes, Boeckhi, Bekkere, et Tu, Wolfi, quem sibi ereptum lugent Musae, luget Germania, luget totus denique orbis litteratus: Si Vos, Viri doctissimi clarissimi, omnia quae a vobis accepi, repeteretis, vix quidquam mihi remaneret, nisi forte exigua quaedam facultas nova acquirendi. Id igitur quod mihi maximum est, in sempiternam possessionem dedistis. Illa autem facultate mea qualicunque hoc opusculum, quod admodum sentio esse perexiguum, elaboravi et conscripsi. Quod si Vobis non prorsus displicet, maius, quam quod verbis possim exprimere, praemium datum mihi esse existimabo.

Scribebam Monasterii, IX. Calend. Septembr. MDCCCXXV.

Pars prior.

De cyclo epico eiusque constitutione et dispositione.

I.

Cyclus epicus, de quo disputare institui, res admodum confusa et obscura est; ut ipsum argumentum quid sit et quam late pateat, in lite versetur. Quamquam enim complures Grammaticorum veterum eum passim commemorant, nihil tamen, nisi hanc illamve fabulam in eo fuisse expositam, plerumque indicant; unde quale fuerit argumentum eius probabili coniectura assequi licet, terminos certos ac tutos constituere non licet. Quoniam autem quaevis quaestio historica a testimoniis, tamquam a fonte, ducenda est; disputatio nostra, nisi veterum scriptorum loci afferantur, nec recte poterit institui neque ad finem perduci. Quare ceteris, si quae hac de re scripta erant, deperditis magni aestimandum est Photii munus; utpote qui frustula disputationis de cyclo epico, e Procli Chrestomathia Grammatica excerpta, in Bibliotheca sua deposuit ac servavit. At quaeritur, an Photio fidem habere liceat. Etenim in rebus tam obscuris tamque incertis, praesertim historicis, nihil progrediendum est, nisi prius vestigia diligenter accurateque circumspecta sint: multumque per se valet in historia auctoritas scriptorum. Photio

autem Bentleius ὁ κριτικώτατος multum fidei tribuendum esse affirmat (v. Opusc. Phil. p. 158. ed. Lips.). Non deerunt tamen, qui secus iudicent. Namque ego ipse concedo Photium in libris veterum auctorum iudicandis et excerpendis nonnumquam videri paulo negligentius versatum esse; sed nullam tamen rationem video, cur hoc in loco fides et auctoritas ei deneganda sit. Etenim cuique scriptori, etiamsi negligens sit et auctoritate non ita dignus, fidem habeamus oportet, si nihil omnino ei repugnat; quinimmo omnia consentiunt. Itaque Photii verba adscribere ex iisque quaestionis initium petere nihil dubitamus.

Διαλαμβάνει δὲ (Πρόκλος) καὶ περὶ τοῦ λεγομένου ἐπικοῦ κύκλου, ὃς ἄρχεται μὲν ἐκ τῆς Οὐρανοῦ καὶ Γῆς μυθολογουμένης μίξεως· ἐξ ἧς αὐτῷ (l. *αὐτοὶ*) *καὶ τρεῖς παῖδας γινώσκουσι* (l. *γεννῶσι*) *Ἑκατοντάχειρας καὶ τρεῖς ἑτέρους ἀποτίκτουσι Κύκλωπας· διεξέρχεται δὲ περὶ θεῶν τάτε ἄλλα τοῖς Ἕλλησι μυθολογούμενα καὶ εἴ πού τι καὶ πρὸς ἱστορίαν ἐξαληθίζεται. καὶ περατοῦται ὁ ἐπικὸς κύκλος συμπληρούμενος ἐκ διαφόρων ποιητῶν μέχρι τῆς εἰς Ἰθάκην ἀποβάσεως Ὀδυσσέως· ἐν ᾗ καὶ ὑπὸ τοῦ παιδὸς Τηλεγόνου, ἀγνοοῦντος ὡς πατὴρ εἴη, κτείνεται.* (Phot. Bibl. p. 521. ed. Hoeschel. cf. Bibl. vett. litt. et artt. fasc. I. Ined. p. 15.).

Cyclus epicus igitur totum mythorum complexum inde a rerum origine ad reditum usque Graecorum e bello Troiano comprehendit omnemque aetatem mythicam exposuit: huius enim terminos historici plerique omnes in Graecorum *νόστοις* olim posuerunt. Atque ex hoc quidem complexu rerum fabulae omnes, quas poetas cyclicos enarrasse scimus, petitae fuerunt.

Nec quemquam cycli poetam aliunde argumentum sumsisse vel ex eo apparet, quod Graecorum epica poesis, quam vere sic dicere licet, mythicam historiam popularium suorum pertractat. Sed quamquam cyclus universam mythici temporis historiam complexus est, nemo tamen cunctas in eo fabulas fuisse enarratas existimabit; id quod per ingentem earum molem vix ac ne vix quidem fieri potuit. Monendum est etiam, permultas fabulas recentiori, non cyclicorum aetati recte assignari et alias subinde esse amplificatas multumque mutatas. Cyclus eas fere fabulas, quae maxime vetustae et simplices erant, quaeque in ore populi viguerant, comprehendit. Quare Salmasio minime possum in eo accedere, quod Apollodori Bibliothecam nihil dicit fuisse aliud, quam σύνοψιν et ἐπιτομὴν cycli epici (in Solin. p. 595). Licet universam historiam mythicam mythographus ille conscripserit (v. Phot. Bibl. p. 236. Heyn. Comm. de Apoll. Bibl. p. XXXII. etss.); permulta tamen alio modo, atque cyclici, enarravit. Quod certissimum esse colligitur partim ex habitu fabularum, partim ex ipsis Apollodori verbis, quippe qui multis locis tragicos poetas aliosve auctores secutum esse se dicit (v. Heyn. l. c. p. XLI.). Si quid autem coniecturis tribuere licet, equidem vetustiores quosdam mythographos, imprimis Dionysium Milesium, convenientius cyclo fabulas pertractasse suspicor.

Sed quoniam iis, quae de argumento cycli dicta sunt, Heynii sententia repugnat; ea propter magnam viri auctoritatem diligenter examinanda erit. „Non satis“ inquit „constanter traditur, quam late cycli epici argumentum patuerit; modo enim intra belli Troiani fines ille substitisse, modo ad ipsam cosmogoniam

evagatus esse narratur" (v. Exc. I. ad Virg. Aen. II. p. 353. cf. Comm. de Apoll. Bibl. p. XXX.). Quam sententiam qua fretus auctoritate, quaque ratione vir ille doctus pronuntiaverit, equidem sane ignoro. Namque praeter Photium veterum scriptorum invenire potui neminem, qui argumentum cycli terminis circumscribat, neque ullum quidem locum scio, ex quo illa opinio duci possit. At Heynius testem satis gravem produxit. Nimirum in tabula Iliaca ad vocabulum *Τρωϊκός*, quod in medio eius litteris maiusculis scriptum est, supplendum esse ait *κύκλος* (v. Exc. l. p. 370) indeque carmina, quorum indices in tabula illa leguntur, ad cyclum Troicum, quem fingit, pertinere affirmat. Verum supplementa talia sunt mera commenta; ellipses enim suis terminis circumscriptae sunt. Et si quodvis vocabulum ex ingenio liceret addere, veterum scriptorum testimonia sane opus non essent. Quod autem attinet *Τρωϊκός*, de quo loquimur; quid obstat, quo minus subaudiamus *πίναξ* aut simile quid? Hoc supplementum minime absurdum, immo probabile admodum esse, ratione non levissima confirmare posse mihi videor: sed hoc ab loco alienum est. Eam igitur opinionem neque Heynius, neque Tychsenius, qui eius vestigia presse sequitur (v. Comm. de Quinti Smyrn. carm. p. LXXI.), ullo modo confirmavit.

II.

Cyclum epicum nihil fuisse aliud, quam complexionem quandam epicorum carminum, ex veterum scriptorum aliquot locis satis apparet. Photius enim loco supra laudato ita pergit: *Λέγει δὲ (Πρόκλος) ὡς*

τοῦ ἐπικοῦ κύκλου τὰ ποιήματα διασώζεται καὶ σπουδάζεται τοῖς πολλοῖς. Idemque Athenaeus (l. VII. 3. p. 277) docet, qui Titanomachiam, duos versus ex ea proferens, in cyclo fuisse significat. (cf. Part. post. 2). Quibus Aristoteles duobus in locis accedit. Ἆρα πᾶς κύκλος σχῆμα; ἂν δὲ γράψῃ, δῆλον. τί δέ; τὰ ἔπη κύκλος. φανερὸν ὅτι· οὐκ ἔστιν. (Analyt. post. l. I. c. 9. p. 84). Nam hic intelligendum esse cyclum epicum, mihi quidem persuasissimum est, quum eiusdem philosophi alterum locum (Sophist. Elench. I, 9. p. 181.) lego. Ὁ δὲ (inquit) ὅτι Ὁμήρου ποίησις σχῆμα διὰ τοῦ κύκλου, ἐν τῷ συλλογισμῷ (sc. τὸ αἴτιον ἐστιν). Quis enim Aristotelem opinetur ignobile quoddam genus epigrammatum hic respexisse (quod priori loco eum fecisse Philoponus dicit) idque Ὁμήρου ποίησιν dixisse? Atque ut dicam quod sentio, genus illud epigrammatum, qualia κύκλους dici Philoponus ait, post Aristotelis demum aetatem ita increbuisse mihi videtur, ut singulari nomine insignitum sit. Quare etiam priori loco alteram explicationem Philoponi praefero. Ἔστι δὲ καὶ ἄλλο τι κύκλος ἰδίως ὀνομαζόμενον, ὃ ποίημά τινες μὲν εἰς ἑτέρους, τινὲς δὲ εἰς Ὅμηρον ἀναφέρουσιν. (ad Arist. l. c. fol. 34. b. ed. Ald. 1534.) Quamquam ille in eo vehementer errat, quod cyclum unum quoddam poema fuisse opinatur aut Homero aut alii poetae adscriptum. Verum hic error is est, in quo etiam recentioris aetatis viri aliquot doctissimi versentur (v. Ioseph. Scalig. Ep. 195. D. Heins. not. ad Horat. carm. I. 7.) Ceterum ut intelligas, quam ieiuna sit harum rerum cognitio penes veteres Grammaticos, inspicere licet Themistii Paraphr. in Aristot. Anal. post. l. c. fol. 6. b. ed. Ald. 1534. et Alexand. Aphrod. ad Arist. Soph. Elench. fol. 27. b. ed. Venet. 1520. Verum quid his moramur? Non solum carmina constituisse

cyclum, sed etiam quaenam illa fuerint quorumque auctorum, deinceps docebitur. At fortasse cyclus epicus etiam aliud quid significat. Heynius enim in annotatione ad Photii verba supra adscripta primum haec dicit: „Hactenus (sc. a verbo διαλαμβάνει — ἐξαληθίζεται) „cyclus epicus ipsi est cyclus ipsarum rerum, quae „argumentum poetis suppeditabant, adeoque is, quem „melius dicimus cyclum mythicum h. e. complexus „mythorum, quos antiquiores poetae suis carminibus „exposuerunt (v. Bibl. vett. litt. et artt. fasc. I. Ined. p. 15.)." Sed haec opinio falsa est et prorsus spernenda, atque nullam profecto rationem eius mihi exploraveris: alibi enim cyclus epicus hanc significationem minime habet et nostro loco de poematis cogitare etiam accommodatius est. Deinde autem idem sic pergit: „Nunc (a verbo περατοῦται — κτείνεται) cy„clus epicus paulo aliter accipitur de ipso poe„tarum numero, qui mythos cyclo paullo ante dicto „comprehensos carminibus epicis exposuerant" (v. l. c.). Sed ne hanc quidem significationem vir eruditissimus comprobavit nec verum, quod dixit, equidem esse puto. Nam verba illa „ὁ ἐπικὸς κύκλος συμπληρούμενος ἐκ διαφόρων ποιητῶν" nullum sensum alium (si quidem totius loci sententia in interpretando respicienda est) possunt habere, nisi cyclus epicus constans (completus) ex variorum poetarum carminibus. Itaque neque Heynius probavit, nec quisquam olim probabit, cyclum epicum nonnunquam aliud quid significare, quam carmina epica.

III.

Cycli epici carmina secundum argumenta mythorum, quos pertractabant, ita disposita fuerunt, ut dum eodem ordine, quo deinceps consecutae essent res ipsae, carmina se subsequerentur, contextus fabularum inde a rerum origine usque ad Ulyssis novissima fata haberetur. Photius enim l. c. hoc modo pergit: *Λέγει δὲ (Πρόκλος) ὡς τοῦ ἐπικοῦ κύκλου τὰ ποιήματα διασώζεται καὶ σπουδάζεται τοῖς πολλοῖς οὐχ οὕτω διὰ τὴν ἀρετὴν, ὡς διὰ τὴν ἀκολουθίαν τῶν ἐν αὐτῷ πραγμάτων.* Atque rem ipsam, qualis fuerit, oculis perlustrare licet; ex Procli enim Chrestomathia Grammatica servata sunt nobis cyclicorum carminum, quae res Troicas exponebant, argumenta et eodem quidem, quo diximus, ordine disposita. F u i t igitur, ut F. A. Wolfii verbis utar, cyclus epicus m u l t o r u m *ἐπῶν*, ab initiis rerum usque ad mortem Ulyssis deductorum, collectio, omnem prope fabularem historiam *perpetua et naturali serie* complectens (v. Prol. ad Homer. p. 127.). Sed hoc non sic accipiendum esse, quasi cyclus fabularum totum complexum plane eodem modo et illo severo ordine exposuerit, quo vera et legitima historia res suas enarrare debet, illud quidem per se patet et certissime intelligitur e compluribus carminibus, quae cyclica fuisse scimus. Sunt enim Homeri quoque poemata cyclica (v. Part. post. init.). Quare carmina cyclica fuisse episodiis intertexta rationi cycli nequaquam repugnat. Ergo mihi quidem errare videtur Wolfius, qui eius rei, quod cyclici poetae Homerica artificia non imitati sint et episodia nulla intertexuerint, novum argumentum ex ipsa ratione cycli ait esse ducendum (Proleg. l. c.). Adversus hanc sententiam etiam illud pu-

gnat, quod (ut illico videbimus) poetas cyclicos eo consilio, ut cyclum aliquem constituerent, carmina sua composuisse, in universum concedi nullo modo potest. Quam unam ob causam, ut semel hunc errorem notemus, opinio multorum falsissima est, cyclica carmina singulare quoddam genus poesis epicae constituisse; praesertim si qui somniis suis indulgentes commenticium hoc genus carmini Homerico oppositum esse volunt.

IV.

Viri docti plerumque in eam sententiam convenerunt, carmina cyclica ab uno aliquo Grammatico quondam esse collecta in unumque corpus redacta; sed de auctore tamen huius collectionis ac de tempore, quo ea sit instituta, inter se dissentiunt. Alii ad Alexandriae Grammaticos hoc institutum referunt, alii ad antiquiores etiam. Qui horum sententiam sequuntur, Dionysium Milesium primum cycli collectorem fuisse solent arbitrari. (v. H. Dodwell. Diss. de Cyclis p. 800. Schwarzii Diss. de poet. Cycl. p. 46.). Quare quid de hoc mythographo statuendum sit, exquiratur necesse est.

Dionysius Milesius, qui *κυκλογράφος* nominatur, (v. Tzetz. Chil. XII, v. 186. Schol. ad Eurip. Or. 998 et al.), circa Ol. 65 floruisse traditur (v. Suidas s. v. *Ἑκαταῖος*); eiusque *κύκλος* a veteribus passim laudatur (Schol. ad Eurip. Phoen. 1123 ibiq. Valckenaer.). Poetam eum falso dici, contra Casaubonum (ad Athen. p. 479) Salmasius optime disputat (in Solin. p. 595.

a. E.). Solet enim *μυθογράφος* sive *ἱστοριογράφος* appellari, nusquam vero poeta dicitur. Adde quod Athenaeus (l. XI, 9. p. 481. E.) fragmentum prosa oratione conscriptum e cyclo servavit. Quamquam enim ille Samium Dionysium *περὶ κύκλου*[1]) laudat; tamen procul dubio hic idem *κυκλογράφος*, quem Milesium dicunt alii, intelligi debet (v. Valcken. ad Phoen. p. 735. Heyn. ad Apollod. p. 355. Schweigh. ad Ath. l. c.). Nam primum Samius Dionysius, qui *κύκλον* scripserit, aliunde notus est nullus; tum patriae antiquissimorum poetarum et mythographorum fere solent incertae esse inter seque commutari; deinde imprimis Dionysiorum scripta et nomina inter se esse confusa, ex Suida cuique facile apparet (s. n. *Διονύσ.*). Iam vero Dionysium illum, sive Samium sive Milesium, duos *κύκλους* confecisse putant, *μυθικὸν* et *ἱστορικόν*; eique sententiae Scholiasta Pindari (ad Isthm. IV, 104) suffragari videtur, ab eo enim *Διονύσιος ἐν πρώτῳ κύκλων* laudatur: verum Salmasius rectissime *κύκλου* legit. Nam ut alias causas omittam, veterum auctorum nullus Dionysium duos conscripsisse cyclos testatur; et quod vulgaris eorum consuetudo est, simpliciter Dionysium *ἐν τῷ κύκλῳ* laudare, id satis declarat, unum tantum eius cyclum notum fuisse.

---

[1]) Salmasius (in Solin. p. 595, a. F.) *περὶ κύκλου* in *περὶ Κύκλωπος* mutat, sed perperam; quamquam hoc l. XI, 7, p. 477, E. olim male legebatur. Iam pridem apud Casaubonum etiam hoc loco vera lectio (*περὶ κύκλου*) exstat; eamque Valcken. ad Phoen. p. 735 tenet ac Schweighaeus. in Athen. suo confirmat: adde Heynii Obss. ad Apollod. p. 355. Id certum est, duo hos locos debere sibi congruere.

Κύκλον ἱστορικὸν igitur Suidas laudat (s. n. *Διονύσιος Μιλήσιος*); qui vero *κύκλον μυθικὸν* commemoret, scio neminem. Sed licet quis eum commemoret; id mihi non repugnat. Nam *ἱστορικὸς* et *μυθικὸς* quaeque sunt eiusdem originis idem fere significare, saltem apud veteres Scholiastas et Grammaticos, neminem latet. Ergo *μυθικὸς κύκλος* Dionysii, si quo loco laudetur, idem est atque *ἱστορικός*. Fuit autem cyclus ille opus mythistoricum, cuius priores libri quatuor *μυθικὰ* (*Διονυσιακὰ, Ἀμαζονικὰ, Ἀργοναυτικὰ, τὰ περὶ Ἰοῦς κ. τ. ἑ.*), reliqui autem libri tres *Τρωϊκὰ* comprehenderunt. Suidas enim (l. c.) Dionysium ait haec scripsisse: *Τρωϊκῶν βιβλία γ'. Μυθικὰ. κύκλον ἱστορικὸν ἐν βιβλίοις ζ'.* Qui locus sive ab ipso auctore male conscriptus sive a librariis corruptus vel emendari, vel explicari hoc modo debet: *Τρωϊκῶν βιβλία γ' (καὶ) „μυθικὰ, κύκλον ἱστορικὸν ἐν βιβλίοις ζ'.* h. e. Troica scripsit et mythica, quae constituunt cyclum historicum. Etenim unum tantum cyclum Dionysium scripsisse modo vidimus. Deinde primus eius liber historiam Ius et Herculis enarravit (v. Schol. ad Eurip. Phoen. 1123 cum Valcken. veriss. emend. Schol. Pind. ad Isthm. IV, 104); quintus Troiae excidium celebravit (v. Clement. Alex. Protrept. p. 30 extr.); sextus Graecorum reditum in patriam exposuit (v. Athen. l. XI, p. 477. 481.). Atque septimus denique liber ea, quae illis succedebant, (ut Ulyssis novissima fata) continuisse videtur. Ergo illa *Τρωϊκῶν βιβλία γ'* posteriorem cycli partem continebant: quis enim est, qui dicat illud opus a cyclo diversum fuisse Dionysiumque res easdem diversis in libris recoxisse? Nimirum ut multis voluminibus onustus ad mercatum Lipsiensem posset proficisci! Praeterea sententiam nostram Diodorus Siculus (l. III. c. 65.) haud parum confir-

mat, quippe qui eodem ordine, quo eas in cyclo se subsecutas esse modo diximus, singulas Dionysii operis partes enumerat. Sed, ut ad propositum revertamur, ex his omnibus, Dionysium cyclicorum carminum collectorem fuisse, nullo modo efficitur; nisi quis forte cum Schwarzio (l. c. p. 47) Diodori verbis (l. c.) ad hoc confirmandum abuti velit. Vir ille doctus quum alia, tum imprimis παρατιθέναι ποιήματα quid significet, non intellexisse videtur: namque παρατιθέναι sive, ut vulgo, παρατίθεσθαι est pro testimonio afferre, laudare, citare, (cf. Bast. ad Gregor. Corinth. p. 348).

Alterum cyclicorum carminum collectorem Polemonem quendam nonnulli fuisse putant (cf. Casaub. ad Athen. p. 479 Dodwell. l. c. Schwarz. l. c. p. 48); Homeri enim Scholiasta (ad Iliad. γ. 242) postquam Helenam a Theseo raptam esse narravit, hoc addit: ἡ ἱστορία παρὰ τοῖς Πολεμωνίοις ἤτοι (ἢ τοῖς Schol. Ven.) κυκλικοῖς. Id simile esse Casaubonus (l. c.) suspicatur, ut si quis ius civile Romanorum Tribonianeum diceret, quia Tribonianus id congessit et digessit. Haec inter se non male comparari, fortasse concedere licet; sed eruditus ille ex iis ita concludit: „fieri potest, ut qui primus veteres illos poetas in unum iunxit, Polemon vocaretur: et inde Polemonii poetae iidem ac cyclici." Quod falsum est. Speciosius suspiceris, Polemonem simile opus ac Proclum (de quo infra dicetur) confecisse: qua quidem mera opinione, quamquam eam pro veritate venditare minime volo, id certe sum consecutus, ut Scholiastae locus, Polemonem cyclica carmina collegisse, per se minime probet. Sed non tacenda est probabilis admodum huius loci emendatio, quae in Fabricii Biblioth. Gr. (Tom I. p.

442. not. ed. Harles.) proposita est quamque Welckerus in Alcmanis fragm. p. 20 confirmat; ut *παρὰ Πολέμωνι καὶ τοῖς κυκλικοῖς* in Schol. l. c. legatur. Id quamquam verissimum mihi videtur, hic propterea non amplexus sum, ne etiam mihi, ut iure multis hodie solet, arbitraria veterum locorum mutatio ad infrigendam testimoniorum fidem obiiciatur.

V.

Gravior etiam illorum error est, qui primum Polemonem carmina cyclica collegisse statuunt; quippe qui, nisi etiam recentior est, ante Grammaticos Alexandrinos certe non floruit. Cyclus autem antiquior haberi debet quamvis multis obloquentibus. (v. Heynii Exc. I. ad Aen. II. p. 353; Tychsen. Comm. de Quinti Smyrn. Carm. p. XXXVII. Groddeck. Bibl. vett. litt. et artt. fasc. II. p. 63. not. Ille quidem cautus est, ut criticum decet; sed hi sic loquuntur, quasi res nulli dubitationi sit obnoxia). Etenim apud Proclum (in Bibl. vett. litt. et artt. fasc. I. Ined. p. 11) haec leguntur: *Γέγραφε δὲ (Ὅμηρος) ποιήσεις δύο Ἰλιάδα καὶ Ὀδύσσειαν· Ξένων καὶ Ἑλλάνικος ἀφαιροῦσιν αὐτοῦ, οἱ μέντοι ἀρχαῖοι καὶ τὸν κύκλον ἀναφέρουσιν εἰς αὐτόν.* Sed affirmante Heynio Ms. Venet. habet *ἤυξενων* pro *Ξένων*. Tychsenius autem, qui Ms. Venet. accuratius inspexit, legendum esse *ἦν Ζένων* recte videtur contendere (v. Comment. l. p. LXI.). Quae lectio, haud dubie vera, si recipitur, non opus est, ut cum Heynio (l. c.) et Wolfio (Proleg. ad Homer. p. 158) locus pro mutilato habeatur. Ergo totius loci sententia, quam eandem etiam Wolfius (l. l.) velle videtur,

haec est: Scripsit Homerus poemata duo, Iliadem et Odysseam, quam (sc. Odysseam) Zeno et Hellanicus ei abiudicant; antiqui tamen etiam cyclum ei attribuunt. Xeno ille sive Zeno quis fuerit, hic nihil curo; consuli de eo Heynius (l. c. p. 21) potest: Hellanicus autem haud multo post Ol. 70 floruit (v. Eusebii Chron. cum Scaligeri annotat.). Quare quum hoc loco οἱ ἀρχαῖοι sine dubio sint Hellanico antiquiores (quod ut statuatur, leges interpretationis flagitant); cyclus epicus vix post Ol. 60 constitutus esse potest. Atque hanc eius aetatem complura confirmant. Nam primum Dionysium opus suum mythistoricum κύκλον ἱστορικὸν inscripsisse ad exemplum cycli epici, e quo res suas petiverat, mihi quidem satis probabile est. Deinde Aristoteles huic sententiae eo suffragatur, quod cycli, tamquam rei notissimae, mentionem facit (v. supr. II). Atque Clemens Alexandrinus (Strom. l. I. p. 333) cycli poetas esse antiquissimos testatur his verbis: Ταῦτα προήχθημεν εἰπεῖν, ὅτι μάλιστα ἐν τοῖς πάνυ παλαιοῖς τοὺς τοῦ κύκλου ποιητὰς τιθέασιν. Idem confirmat Eusebius (Praepar. Evang. I. 10. p. 39) cyclicos et Hesiodum ad eandem aetatem referendo. Quare etsi nomen cycli recentius sit, res ipsa tamen, quae eo significatur, antiqua est (v. infra VII. X.).

VI.

Nemo igitur (ut eo, unde digressa est, disputatio se referat) ullo testimonio, ne levissimo quidem, hucusque confirmavit, Grammaticum aliquem epicorum carminum certum quendam numerum in unum corpus congregasse itaque constituisse cyclum; neque

ego, quod huic opinioni vel minimam veritatis speciem imponat, quidquam potui invenire. Ac sane mirum est, quod, si non diu post Pisistratidas carmina cyclica collecta sint, huius instituti mentio fit omnino nulla; quum praesertim alia eiusmodi instituta, eaque minoris momenti, veteres silentio non praetereant. Sic Homeri carmina tradunt esse connexa atque ἐπὶ τῇ ἀθροίσει τῶν βουκολικῶν ποιημάτων vetus epigramma Artemidori Grammatici exstat. Neque minus Boeckhii coniectura de cyclicorum carminum editione argumentis caret (vid. Schol. antiq. ad Od. ed. Buttmann. not. ad π' 191 add. ad η' 115) cf. infra XIV.

VII.

Nunc vero nos quaestio premit, unde cyclus, nisi quis eum constituerit, ortus sit. Quamquam enim de rei alicuius natura quaerenti originem invenire necessarium non omnino est, multum tamen iucunditatis id habet et utilitatis. Antiquior igitur Graecia copiam satis magnam epicorum carminum habuit, quae in suo ordine disposita totam fabularem historiam serie continua et naturali complecterentur. Hanc dispositionem, illis temporibus admodum difficilem, revera factum esse nec probabile nec verisimile videtur. Qui autem carmina illa eorumque argumenta cognita habebat, sane non potuit, quin secundum naturalem fabularum seriem cogitaret ea disposita cyclumque animo suo informaret. Initio igitur cyclus nonnisi mente conceptus exstitit; deinde vero, Grammaticorum aetate, indices eorum carminum, quae cyclum constituebant, sunt confecti. Indicem talem Proclus fecit, qui in

Chrestomathia sua Grammatica de cyclo epico eiusque argumento et natura disputavit, poetas et carmina cycli enumeravit, argumentaque carminum exposuit et adscripsit (cf. Phot. l. c. Supra I. II. III. et infra Part. post. init.). Quare id quidem Heynio libenter consentimus, cyclum epicum nunquam aliter esse confectum, quam ut Grammaticus aliquis cyclicorum carminum recensum sive indicem fecerit (cf. Excurs. I. ad Aen. II. p. 353): sed illud concedi nequaquam potest, antequam tales indices confecti sint, cyclum fuisse omnino nullum (cf. Wolf. Epist. ad Heyn. p. 117). Ceterum sententiam nostram si amplecteris, haud mirum tibi videbitur, quod cycli ante Grammaticorum aetatem tam rara et in nostris quidem libris ante Aristotelem nulla sit mentio. Ex his autem omnibus, quae modo dicta sunt, satis apparet, omnes et singulos cycli poetas eo consilio, ut cyclum aliquem constituerent, poemata sua composuisse, statuere non licere (v. Heynii Exc. l. p. 354).

VIII.

Iam de poetis cyclicis universis nonnulla dicenda esse videntur. Ac primum quidem falsissima quorundam opinio, epicos poetas omnes a veteribus dici cyclicos, verbo saltem attingenda est; sed refutationem merae huius suspicionis, praesertim postquam adversus eam Salmasius prope nimium disputavit (in Solin. p. 697), nemo a me expetere debet. Nec verior eorum sententia est, qui poetas, carmine perpetuo ad historicorum modum fabularem aliquam historiam pertractantes et episodia nulla intertexentes, cyclicos h. e.

cycli poetas cognominari arbitrantur (cf. Ios. Scaliger Ep. 195 D. Heins. not. in Horat. Od. I. 7. G. J. Voss. Instit. poet. l. III, 5, 14.). Etiam contra hanc opinionem Salmasius, et ita quidem, ut satietatem afferat legenti, pugnavit eamque falsam esse ostendit (cf. in Solin. p. 595. ets.). Si tamen magni illi viri (quod facere non videntur) cyclicorum nomine non cycli poetas, sed alios quosdam recentioris aevi ignobiles notarent, non omnino a vero aberrassent (v. infra XIII.). Verum plures eiusmodi suspiciones, quibus ne hilum quidem veri subest, enumerare a me sane alienum est. Quotquot enim e genere et ratione carminum quaenam eorum fuerint cyclica, definire conati sunt, in cassum operam sumserunt. Sed illud tamen deinceps videbimus, quae carmina locum in cyclo potuerint habere (v. Part. post. init.).

IX.

Heynius assentientibus aliis uno eodemque tempore ab aliis alios esse poetas in cyclicis numeratos arbitratur cyclumque Grammaticorum arbitrio facit obnoxium (cf. Excurs. I. ad Virg. Aen. II. p. 353.). Quod si verum est, de cyclo disputare quidquam sane non licet: tum enim et omnes poetas epicos et nullum in eo ponere debemus. Sed quoniam huic opinioni modus iste, quo nos cyclum ortum esse diximus, speciem aliquam veritatis praebet; paulo accuratius examinanda ea videtur. Ac primum quidem illud certum est, poetam nullum praeter vetustissimos Homeridas cyclicum hoc est cycli poetam a quoquam esse dictum (cf. supra V. infra Part. post. init.). Veteres

Homeridas autem, quamquam permulti illi fuerunt, multa eiusdem argumenti et tituli carmina composuisse, nemini constat: ut plerisque in locis Grammatici ne potuerint quidem illum delectum instituere. Tum Heynii sententia, nisi historicis argumentis, comprobari non potest. Quare quum aperta veterum testimonia hac de re exstent nulla; equidem sane nullam eius rationem video, nisi uno eodemque tempore unum eundemque poetam sive poema cyclicis alii annumerant, alii eximunt. Atqui poetae nulli, nisi forte Homero, tale quid unquam accidit: de eo enim auctores, quos hic quidem (ut adversario aliquid largiamur) ponere placet sibi aequales, certe videntur discrepare. Etymologus Magnus (s. v. *Νεκάδες*) haec profert: *Παρὰ μὲν τοῖς κυκλικοῖς αἱ ψυχαὶ νεκάδες λέγονται·* atque tum ut eum significatum exemplo confirmet, versum Homeri (Iliad. ε. 886.) subiicit:

ἦ τέ κε δηρὸν
αὐτοῦ πήματ' ἔπασχον ἐν αἰνῇσιν νεκάδεσσιν.

Ergo ille Homerum in cyclicorum numero refert. Casaubonus (ad Athen. p. 479.) et Salmasius (in Solin. p. 602.), qui huic testimonio fidem detrahere student, perverse faciunt et historiae repugnant: nam cum Etymologo Aristoteles et Proclus, qui, puto, aliquid auctoritatis habent, optime consentiunt (v. Part. post. init.). Contra alii scriptores, quos Etymologo aequales ponamus, Homerum a cyclicis videntur secludere: Scholiastae enim ad eius carmina passim scribunt, historiam aliquam *παρὰ τοῖς κυκλικοῖς* sive *ἐν τῷ κύκλῳ* legi (v. ad Iliad. γ. 242; σ. 486; τ. 322, et al.); unde Homerum pro cycli poeta eos non habere, aliquis concludat. Sed (nolo enim, quod nonnunquam sane fit et hic non omni specie caret, *ἄλλοις* sive *ἄλλῳ*

in illis locis subaudire) illud mihi perpendas velim, Scholiastas annotatiunculas suas undique excerptas conquisivisse et permultas rerum gravissimarum, nisi fortuito in eas inciderent, per incuriam suo loco vel plane omisisse vel imperfecte et falso tradere. Quare quamquam singula eorum testimonia nunquam licet negligere, non temere tamen ex iis aliquid velim efficere artificiosa quadam argumentatione. De cyclo epico nihil scire illi videntur: Grammatici vetustiores, qui poemata cyclica oculis adhuc usurpabant atque ad singulos Homeri locos illustrandos historias ex iis sumtas adscripserant, Scholiastis, quorum nos frustulis debemus esse contenti, cibos haud dubie suppeditarunt. Illi igitur eas historias quum legerent, commentariolis suis inculcaverunt nihil curantes, cyclus quid esset quique poetae cyclici dicerentur. Idem de Eustathio iudicandum est: qui praeterea etiam suis ipsius verbis, se fide hac in re esse indignum, satis declarat (v. ad Odyss. p. 166, 9. ed. Bas.). Quo accedit, quod nullum poema unquam fuit, quod Homericorum carminum locum in cyclo explere potuerit: ut ne apertum quidem Scholiastarum testimonium quidquam valeret Heyniique sententiam probaret. De epigrammatis duobus, quae trahere huc aliquis posse videtur, quid sit statuendum, infra dicetur (v. XIII.).

X.

Iam paucis verbis attingam quaestionem, num tempore alio alia carmina in cyclica relata sint sitque cyclus paulatim mutatus. Cuius mutationis, si ea facta est, tres omnino causae excogitari possunt: quarum si

nulla valeat, opinionem eam quamvis speciosam amplecti non licet; nam tale quid in testimoniorum defectu sine causa et ratione statuere temerarii est. Primum autem fieri potest, ut quo tempore cyclus est institutus, carmina, quae fabularem historiam universam serie perpetua et naturali exponerent, nondum satis multa exstiterint: ut poemata postmodo facta cyclum prius imperfectum perfecerint. Sed hoc probare nemo potest, quod antiquissima esse cycli carmina supra vidimus et ante Ol. 53, qua Eugammon Telegoniam (novissimum quod novimus cycli carmen) fecit, cycli nullum usquam vestigium cernitur. Atque si de origine cycli non improbabili modo locuti sumus, huic suspicioni locus omnino non est. Deinde probabilis videri potest sententia, nova carmina, utpote meliora, veterum locum in cyclo occupavisse. Verum ne illud quidem quisquam probabit, ullum recentiori tempore carmen epicum, quod antiqua illa poemata cycli virtute superarit eorumque locum potuerit explere, esse. compositum. Non enim puto quemquam mihi Antimacheam Thebaidem obiicere, quae, utpote melior, in locum τῆς καλουμένης κυκλικῆς successerit. Notum est enim vulgari veterum iudicio Antimachi carmen non admodum probatum fuisse; cyclicam vero Thebaidem, si quid Pausaniae iudicio tribuere licet, post Odysseam primum locum tenuisse (v. Part. post. 18.). Neque etiam debet quisquam hac in re ad Acronem provocare; quid de eius testimonio iudicandum sit, infra dicetur (v. XIII.). Denique si quis veterum aliquot cyclicorum carminum deperditis nova ad redintegrandum cyclum statuit esse composita, non omni specie eius opinio videtur carere. Namque Pausanias de Eumeli Corinthiacis, carmine cyclico, ita loquitur, ut hoc poema illo tempore iam fuisse de-

perditum suspicari iure possimus (cf. Part. post. 6.). Quare si Proclus, ut e Photio colligi posse videtur, cyclum adhuc perfectum habuit, unum certe novum carmen in eum receptum esse debet. Sed neque Pausaniae aetate Eumeli Corinthiaca deperdita iam fuisse neque Proclum cyclum nullo prorsus carmine mutilum adhuc habuisse, non ita certum est, ut tale quid inde liceat argumentari. Ergo nos quidem affirmare oportet, eadem semper carmina cyclum epicum constituisse.

Not. Sunt qui putent complura simul eiusdem argumenti carmina in cyclo fuisse collocata. Qua de opinione, hucusque argumento confirmata nullo, quid nobis videatur iudicandum, opportuniori loco dicemus (v. Part. post. 24.).

XI.

Non alienum duco ab hoc loco duabus de rebus quae sit mea sententia, breviter pronuntiare, quamquam eae propter difficultatem suam et propter spatii angustias indagationi accuratiori in aliudque tempus reservandae sunt. Primum igitur quaeritur, sintne cetera cycli carmina omnia, sicut Homerica, Pisistratidarum demum aetate connexa litterisque consignata. Si quis de carminibus cycli omnibus hoc velit affirmare, eius sententiam ratione et auctoritate dico carere. Nonnulla enim illorum eo tempore sunt composita, quo Graeci scribendi artem etiam in vulgari usu habebant: quae cur non conscripta sint ab ipsis auctoribus, causam ego profecto non video. Atque ipse Wolfius non omnino infitiatur, Eumelum, Arctinum aliosque eiusdem aetatis litteris usos esse (Proleg. p. 70).

Altera autem quaestio de tempore est, quando poemata cycli interierint. Ex verbis Photii, neque id iniuria, forsitan aliquis colligat, Procli aetate illa omnia adhuc superfuisse; sic enim ille scribit: *Λέγει δὲ (Πρόκλος) ὡς τοῦ ἐπικοῦ κύκλου τὰ ποιήματα διασώζεται καὶ σπουδάζεται τοῖς πολλοῖς* (v. l. c.). Ergo Procli temporibus illa non modo deperdita non fuerunt, sed diligenter etiam multisque lectitata sunt. At ego tamen hoc ita verum esse puto, ut permulta, non omnia, carmina cyclica Proclum oculis suis usurpasse existimem. Quam dubitationem de Photii fide esse iniustam et temerariam, qui excerptorum mores non ignorat, nemo dicet. Sed quod Heynius ex indice Procliani libri (*χρηστομάθεια γραμματική*) colligit, Proclum opus suum ex parte saltem veterum Grammaticorum ductu confecisse, id sane mireris (cf. Bibloth. vett. litt. et artt. fasc. I. Ined. p. 17): nam epitheton *γραμματική* aliter idque melius potest explicari. Idem tamen de Tzetzae supellectile erudita optime iudicat (Excurs. I. ad Virg. Aen. II. p. 361); quod enim Dodwellus (de Cycl. Graec. et Rom. p. 803) Grammaticum istum cycli poemata suis ipsius oculis legisse et in centone Iliaco consarcinando ubique secutum esse opinatur, id confidenter dico esse falsissimum (cf. Part. post. 6. extr.). Verum haec hactenus: sunt enim hae quaestiones eiusmodi, quae de singulis carminibus singulatim debeant institui.

XII.

Unde complexioni illi poematum *κύκλου* nomen impositum sit, viri docti plures rationes sibique discre-

pantes protulerunt. Sed hanc rem ad liquidum perducere gravius, quam difficilius est; neque id per se solum, sed etiam propterea, quod eruditi homines suam de cyclo sententiam pro diversa nominis ratione, quam statuerant, saepe multum immutarunt. Potest autem haec appellatio vel a genere poematum, vel ab argumento eorum, vel denique a natura ipsius complexionis ducta esse. Si, quod neminem esse probaturum puto, sententia nostra de cyclo non plane improbabilis est et futilis, in argumento vel genere carminum ratio nominis nequaquam inest. Quare quaequae sunt conamina ab his petendi nominis, iure mihi videor ea praeterire. Nec vero Scholiastarum quaedam notulae (v. XIII.), quas specioso quidem modo, sed falso tamen huc retulerunt, quemquam debent commovere: nam, ut alia omittam, in causis rerum disquirendis et nominum nulla omnino auctoritas per se quidquam valet. Quoniam igitur ratio nominis in ipsius complexionis natura est quaerenda, ea nonnisi in connexu sive externo sive interno posita esse potest: utrumque probabile videtur. *Κύκλος* enim passim significat multitudinem (ut hominum) in orbem collectam, quemadmodum Latinorum corona, circulus: inde plerumque nihil aliud est, quam multitudo congregata, corona, circulus. Qua ratione Agathias collectionem epigrammatum *κύκλον* inscripsit: namque Salmasius in explicando hoc indice minime est audiendus; repugnantia sibi loquitur (cf. in Solin. p. 596). Eadem autem ratione complexum epicorum carminum, quae in unum quasi corpus collecta cogitabant, *κύκλον* licuit dicere. Sed ii, qui propter ipsam cohaerentiam fabularum illi corpori poematum cycli nomen impositum esse iudicant, rationem haud minus probabilem possunt afferre. Nam com-

plexus artium liberalium, quae habent quoddam commune vinculum et quasi cognatione quadam inter se continentur, veteribus κύκλος παιδείας sive παιδευμάτων dictus est; orbem doctrinae eum Quintilianus vocat (l. I. 10 (al. 16)). Idem Vitruvius (l. I, 1, 12) testatur: Encyclios, inquit, disciplina uti corpus unum ex his membris est composita. Sic etiam Dionysii cyclographi liber (nisi eum mavis statuere ad exemplum cycli epici sic dictum esse) propter fabularum commune vinculum κύκλος haud dubie inscriptus est; unde Suidas eum κύκλον ἱστορικὸν potuit dicere. Eadem igitur de causa epicorum carminum complexionem κύκλον ἐπικὸν appellatum esse complures statuere videntur (v. Casaub. ad Athen. VIII. 3; p. 479. Fabric. Bibl. Gr. I. p. 378 ed. Harl. Heyn. vv. ll.). Mihi tamen prior ratio praeferenda videtur.

XIII.

Carmina quae cyclum constituebant, et κύκλου ποιήματα et ἔπη κυκλικὰ appellata sunt. Poetae autem οἱ πραγματευόμενοι τὸν ἐπικὸν κύκλον (v. Phot. l. c.), οἱ τοῦ κύκλου ποιηταί (v. Clement. Alex. Strom. I. p. 333), vel plerumque simpliciter οἱ κυκλικοὶ vocantur (cf. Euseb. Praep. Evang. I. 10. p. 39. Etym. M. s. v. Νεκάδες. Schol. Hom. et al. vv. ll.). Iam vero illud non praetermittendum esse videtur, significationibus variis ac diversis κυκλικὸς in poetis et poematis dici. De prima significatione ac vetusta modo vidimus. Deinde recentiores poetae quidam κυκλικοὶ vocantur, qui epici carminis naturae et artis ignari narrationem a primis rei primordiis repetitam per singulas partes, tamquam

scriptores pedestres, exposuerunt (v. Schwarz. de poet. Cycl. p. 53 ets. Heyn. Exc. I. ad Aen. II. p. 355). Ad horum carmina annotationem Scholiastae ad Aristophanis Aves (v. 919) refero: *κύκλια ἔλεγον τὰ τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν ἔχοντα.* Quamquam enim Aristophanes eo loco *κυκλιοδιδασκάλους* carpit, Scholiastae tamen explicatio ad *μέλη κύκλια* nequaquam pertinere potest. Quid autem Scholiasta velit, optime verbis Aristotelis puto illustrari. Loquitur ille (Poet. 23. 6.) de Homero et tum sic pergit: *οἱ ἄλλοι περὶ ἕνα ποιοῦσι καὶ μίαν πρᾶξιν πολυμερῆ.* Tales enim poetae carmina componunt, quae unum et idem argumentum tractant episodiis nullis intertextis. Quamquam vero Aristotelis verba ad carmen Cyprium et Iliadem parvam, poemata cycli, pertinent; noli tamen eodem etiam Scholiastae explicationem referre. Nam primum ea non ad omnia cycli carmina quadrat; deinde falsum est, vetusta illa carmina propterea cyclica dicta esse, quod unum et idem argumentum tractarent; denique Scholiastam recentiora illa poemata respexisse, eo verisimilius est, quod posteriori aetate vulgo ea magis nota erant. Ceterum si quis sententiam meam plane improbans de eo, quod Horatius versu notissimo (Art. Poet. 23).

„Denique sit quidvis simplex duntaxat et unum,“ exprimit, Scholiastam loqui diceret eiusque verba de *μέλεσι κυκλίοις* esse intelligenda; eo ipso is contenderet, Grammaticum prorsus inepta et ridicula docere. De eiusmodi carminum auctore etiam Helenius Acro, Scholiasta Horatii, optime loquitur, quamvis multis irrisus. Cyclicus, inquit, poeta est, qui rem variare nescit (ad Art. Poet. v. 136). Adde etiam Isidorum (in Etym. VI. 17): Cuiusque materiae carmina sim-

plici forma facta cyclica vocantur, tale poema Callimachus (epigr. 29.) sibi ait odio esse.

Ἐχθαίρω τὸ ποίημα τὸ κυκλικὸν κ. τ. λ.

Eodem pertinet illud *κυκλίων πολύθρουν στίχον* in epigrammate Anonymi in Apollodori Bibliothecam (v. Phot. Bibl. p. 236). Porro hos poetas Polliani epigramma notissimum (Anthol. Gr. XI. 130) notat:

Τοὺς κυκλίους τούτους τοὺς αὐτὰρ ἔπειτα λέγοντας
Μισῶ, λωποδύτας ἀλλοτρίων ἐπέων κ. τ. λ.

Minime enim audiendus est Salmasius (in Solin. p. 602), qui quamquam intelligebat, *pessimos quosdam ac triviales heroici carminis conscribillatores cyclicorum nomine a Polliano suggillari*; tamen hoc poematium ad cycli poetas retulit: nimirum opinionibus suis id condonare licuit. Denique ad unum eorum poetarum Horatii versus (Art. Poet. 136) pertinere videntur:

Nec sic incipies, ut scriptor cyclicus olim:
Fortunam Priami cantabo et nobile bellum.

Quamquam eos etiam ad cycli poetam aliquem spectare posse noluerim negare. Sed qui nomen huius poetae invenire student, inepte agunt et aquam perdunt: quippe quod amissis poematis nonnisi ex veterum testimoniis disci possit. Atqui testimonia interierunt; Acroni enim, qui Antimachum spectari dicit, hac in re, ut illico videbimus, nulla fides est. Salmasii fraudem, qui graece interpretatus Horatii versum Leschi supposuit (in Solin. p. 601), alii iam notarunt (v. Heyn. Exc. I. Aen. II. 367).

Groddeckius (in Bibl. vett. litt. et artt. fasc. II. p. 105) Larandensis Pisandri ἡρωϊκὰς θεογαμίας carmen cyclicum dicit. Quod si ex veterum auctoritate fecit, Pisander ille recentioribus his cyclicis annumerandus est. Sed quoniam huius rei ne vestigium quidem in veterum scriptis indagavi, Groddeckium suspicor pro arbitrio suo illud nomen usurpasse. Nimirum ut Passovius in Conspectu suo Historiae litter. (cuiusmodi in libris cautius etiam talia sunt tractanda) ingentem cyclicorum numerum genuit.

Est etiam tertium genus cyclicorum. Graecia infimae aetatis poetillas (στιχοποιοὺς) vidit, qui cantantes circumibant et lucri causa artem suam factitabant; eosque κυκλικοὺς appellavit. Eiusmodi circumforaneos, quos e Rhapsodis natos esse suspicor, fuisse inter graecos, ab aliis iam probatum video; cyclicos autem vocari eos ex hisce colligo. Helenius Acro (ad Horat. l. c.) alteram hanc cyclici poetae definitionem profert. „Cyclicus poeta est, qui carmina sua circumfert quasi „circumforaneus. Aut nomen proprium est Cyclicus „et significat Antimachum poetam. Aliter: cyclici „dicuntur, qui circum civitates eunt recitantes.“ Talia non continuo irridere licet propterea quod a vulgari opinione abhorrent. Ac nullam sane rationem video, cur totum hoc scholium pro mero et inepto commento habeatur. Quum enim κυκλικὸς etiam eum possit significare, qui in hominum circulis (κύκλοις) solet versari eosque frequenter adit, quumque hoc vocabulum a recentioris aevi scriptoribus, praesertim a Scholiastis et Grammaticis, fere soleat in deteriorem partem accipi: hoc nomen illis hominibus sane aptissimum est. Illud vero Acronis fidem nequaquam infringere potest, quod Antimachum his poetis immiscere

videtur. Quoto enim cuique veterum Grammaticorum non accidit, ut notiones suae aetatis in antiquam transferret? Minus etiam mirum est, quod ille in Antimachum incidit, quem nemo alius cyclicum unquam dixit. Etenim oculis perlustrans eruditionis scrinia neminem poetam invenit, qui nominatim cyclicus diceretur. Itaque quum cyclicam Thebaidem sine auctoris nomine frequenter laudari sciret, hanc eandem atque Antimacheam esse putavit et Antimachum ipsum cyclicum dixit. Alter locus, quo haec sententia confirmari videtur, apud scriptorem Certaminis Hesiodi et Homeri (p. XXVII. ed. Barnes.) legitur. *Ὁ δὲ Ὅμηρος ἀποτυχὼν τῆς νίκης περιερχόμενος ἔλεγε τὰ ποιήματα πρῶτον μὲν τὴν Θηβαΐδα ἔπη ἑπτὰ κ. τ. λ.* Hoc commentum ex epitheto *κυκλικῇ*, quod ad suae aetatis notiones Grammaticus ille interpretatur, mihi quidem fluxisse videtur. Isti enim homini quum eos, qui Homero cyclicam Thebaidem adscribunt, sequeretur, necessarium fuisse dixerim, ut poetarum principem cyclicum sui temporis circumforaneis similem esse arbitraretur. Hanc (ut videtur) meram coniecturam illud non parum confirmat, quod illo loco Thebaidem et Epigonos, i. e. *Θηβαΐδα κυκλικὴν* (v. Part. post. 17. 18.) *ἐπίγραμμα ἐπὶ τοῦ τάφου τοῦ Μίδα* continuo subsequitur. Namque hoc epigramma et ipsum Homero adscriptum *κυκλικὸν* dicitur (v. Philop. ad Arist. Analyt. post. I. 9 fol. 34 b.). Non puto quemquam huius commenti de Homero *περιερχομένῳ* alium fontem facile inventurum esse. Atqui sine aliqua ratione grammatici sic ineptire non solent, sed perversa plerumque et inepta verborum interpretatione, quam fide historica dignam habent, nituntur. Porro autem illud quoque ad comprobandam hanc sententiam aliquid facit, quod Latini istos versiculorum quaestuosos

declamatores *circulatores* appellant (Plin. Ep. III. 7). Postremo huic nomini Martialis alludere videtur (Epigr. II. 86) ita scribens:

Scribat carmina circulis Palaemon.

Quartus locus, quem viri docti quidam cycli poetis immiscuerunt, de *χοροῖς κυκλίοις* est. Qui quoniam ad nostram disputationem nihil faciunt aliique de iis ea disputarunt, quae mihi hic saltem satisfaciant; alienum ab hoc loco putavi de natura eorum quidpiam monere (v. Bentl. Opusc. Phil. p. 319 ed. Lips. Salmas. in Sol. p. 596 Interpp. ad Procl. apud Gaisford. p. 414. 417.). Ac plerosque video in eo recte consentire, choris illis a forma sua nomen impositum esse. Unde fit, ut semper dicatur *κύκλιοι χοροί*, nunquam *κυκλικοί*. Nam *κύκλιος* prope idem est cum *κυκλοειδής*; *κυκλικὸς* vero proprie id, quod ad *κύκλον* pertinet eiusque pars est, significat. Quae differentia quamquam in plerisque vocabulis fere negligitur; in nostro tamen, si unum alterumve locum exceperis, constanter observatur. Quare quum in Aristophane ubique legatur *κύκλιοι χοροί*, Bentleius (Opusc. p. 319 etc.) in uno Comici fragmento, quod apud Athenaeum legitur, optime hanc formam restituit. Sic etiam in Scholiis ad Aristophanis Nubes (v. 311) *κυκλίους* rectissime ille reposuit; nisi forte Scholiasta ipse erroris auctor est. Quamquam Hermannus aliter videtur iudicare (ad l. c.).

Iam vero quaerendum est, poetae cycli utrum *κυκλικοὶ* an *κύκλιοι* dicendi sint. Priorem autem formam per se meliorem esse, ex iis intelligi licet, quae modo dicta sunt. Ergo Bentleii sententia, quippe qui (ad Horat. Art. poet. 136) cycli poetas *κυκλικοὺς* recte dici negat, ratione nulla comprobatur. Verum haec res eiusmodi

est, quae exemplis debeat diiudicari. Bentleius igitur contendit veterem ac veram formam *κύκλιος* esse, alteram raro tantum apud Graecos Scholiastas inveniri. Sed duobus exceptis omnes loci, ad quos provocat, ad melicos cyclios, ut ipse recte dicit, pertinent: quos *κυκλίους* dici, et ego assero. Cycli vero poetae ceterique, quos antea descripsimus, *κυκλικοὶ* ubique vocantur.

Euseb. Praepar. Evang. l. I. 10. p. 39. ed. Viger.
Ἔνθεν Ἡσίοδος οἵ τε κυκλικοὶ κ. τ. λ.
Apud Scholiastas Homeri sexies legitur *κυκλικοί*, nusquam *κύκλιοι*.
Ad Iliad. γ. 242; σ. 486; τ. 332; ψ. 346. 660.
Ad Odys. λ. 547.
Callimachus in Epigr. 29.
Ἐχθαίρω τὸ ποίημα τὸ κυκλικὸν κ. τ. λ.
Athenaeus l. XI. 3. p. 465. F. Casaub.
Ὁ τὴν κυκλικὴν Θηβαΐδα πεποιηκώς.
Scholiasta Sophoclis ad Oed. Col. 1440 (1375 Brunck.)
Ὁ τὴν κυκλικὴν Θηβ. ποιήσας.

His locis accedunt Isidorus (Etym. VI. 17), Acro (l. c.), et Horatius ipse (l. c.). Nam quod Bentleius in Horatio cyclius scripsit e duobus Codd. (quorum alter, ut e Critici verbis facile colligas, cyclius a secunda manu habere videtur), id sine causa fecit. Addit suavius sonare *cyclius olim*, quam *cyclicus*: Horatii, puto, aures suavitatem eiusmodi non magnopere curabant. Ceterum duo isti loci, quos antea Bentleio in suam partem reliquimus, ex epigrammatis sumti sunt (v. supra) et minus etiam auctoritatis, quam Scholiasta quivis, hac in re habent. Itaque forma *κυκλικοὶ* et ratione et auctoritate comprobatur; *κύκλιοι* vero iisdem prorsus caret. Ceterum si quo loco *κύκλιοι* poetae nostri vocantur, videndum est, utrum ab

ipso auctore, an ab aliena manu hoc vitium profectum sit: quare in epigrammatis illis, quorum modo mentio facta est, nihil mutaverim. Sed quid Eustathio faciam, dubito. Ὁ κυκλικὸς, inquit, ἤγουν ὁ τῶν κυκλίων ποιητὴς (ad Od. p. 166, 9. ed. Bas.). Quamquam eum non puto ita negligentem fuisse, ut modo κυκλικὸς modo κυκλίων eodem in loco scriberet: nisi forte de χόροις κυκλίοις aliquid audiverit, eosque cum poetis cyclicis permiscuerit.

Postremo loco etiam epigrammata cyclica viri quidam ad cycli poetas referunt, sed falso. Quare satis esse hic puto eos nominasse, qui de hoc ingenii lusu nonnihil dixerunt. Et praeclarus quidem locus apud Philoponum legitur ad Aristot. Analyt. post. l. I. fol. 34 b. Tum vide Schwarzii dissert. de Poet. cycl. p. 54. etss.

XIV.

Quoniam sententiam de communi cyclicorum carminum editione supra vidimus testimonio nullo comprobari eamque plane veri dissimilem esse; eos locos nunc pertractemus oportet, quibus viri doctissimi illam suam sententiam confirmare velle videntur.

Vocabulum κύκλος saepe idem significat, quod circulus, conventus. Quare ἐν κύκλῳ interdum est in vulgo i. e. vulgo. (Verum ἐν κύκλῳ λέγειν est Latinorum per circuitus loqui et huc prorsus non pertinet). Sic apud Hesychium (p. 540.) in glossa satis corrupta: ἀρμεθεῖς· οἱ πατρίδαι ἐν κύκλῳ. Quem

locum viri docti ita emendare conantur et explicant: ἁρμεθεῖς· εὐπατρίδαι ἐν κύκλῳ: ἁρμεθεῖς (assueti curru vehi) sunt ii, qui vulgo dicuntur εὐπατρίδαι. In explicatione quidem assentior iis; sed quoniam ἁρμεθεῖς mihi vix videtur vocabulum Graecum esse, pro ἁρμεθεῖς legendum coniicio ἁρματεῖς: quod vocabulum per se optimum (ut ex ἁρματεύειν intelligitur) paululum eo confirmatur, quod apud Hesychium ἁρματοποιὸς continuo antecedit. Ac ne dicas huius vocabuli explicationem necessariam non esse! Sed quidquid ibi verum sit, parum hic curo. Illud enim certissimum esse videtur, ἐν κύκλῳ illos recte interpretari ἐγκυκλίως. Nam ἐγκύκλιος multis in locutionibus vix differt a κοινός (Schaef. ad Dionys. de Comp. verb. p. 240.). Αἱ ἐγκύκλιαι λειτουργίαι (Fr. Aug. Wolfii verba sunt, in Proleg. ad Lept. p. LXXXVI.) Latine non incommode interpreteris munera solennia, stata, ordinaria. Porro apud Plutarchum (Moral. Tom. I. p. 170. extr. ed. Wyttenb.) haec leguntur: ὥσπερ ἐγκύκλια καὶ κοινὰ πάσης ἀκροάσεως ἐστιν. Suidas (s. v. Καρκῖνος) de Carcino quodam dicit: ἦν ἐγκύκλιον αὐτῷ καὶ πρόχειρον τοιαῦτα ἁμαρτάνειν (τὸ ὑβρίζειν). Plura exempla ubivis obvia sunt (v. Aristot. Polit. I. 2. §. 22. II. 2, §. 32. ed. Schneider. Bosii Ellips. p. 260. Schaefer). Itaque manifestum est, ἐν κύκλῳ interdum ἐγκυκλίως i. e. vulgo significare atque ἐγκύκλιος saepe idem fere esse, quod κοινός. Atqui ἐγκύκλιος et κυκλικός, si eorum naturam quidque per se significent spectes, ita sibi cognata sunt, ut, si uno tantummodo loco significatio κοινὸς vocabulo κυκλικὸς unice apta sit, nemo debeat dubitare, quin haec ibi sit verissima. Iam vero multi eiusmodi loci possunt afferri. Scholiasta Venet. ad Iliad. ζ. v. 325., διπλῆ posita, haec annotat: ἡ διπλῆ, ὅτι κυκλικῶς κατακέχρηται· οὐδὲν

γὰρ λέγεται ἐπιπληκτικόν. . Quod Scholium se ipsum explanat. Idem ad Iliad. ι. v. 222. διπλῆν ponens dicit: κυκλικώτερον δὲ καταχέχρηται τῷ στίχῳ κ. τ. λ. Idem fere simplex καταχρῆσθαι significat (v. id. Schol. ad Iliad. ω. 628.). Atque vix licet dubitare, quin etiam Aristophanis Scholiasta (ad Nub. 636.) voci κυκλικὸς hanc vim tribuerit. Σημειωτέον δ', inquit, ὅτι καὶ ταῦτα (ῥυθμὸς καὶ μέτρον) τῶν κυκλικῶν μαθημάτων. Si enim omnia istic respicis neque Aristophanis sententiam negligis; haec significatio haud dubie aptissima videbitur, quum praesertim ἐγκύκλια μαθήματα recentiori antiquitate etiam κοινὰ dicta sint. Magis etiam hunc sensum Schol. ad Odyss. η. 115. confirmat (v. Heinrichii veram et praeclaram annotationem ad h. l. in Add. p. 574. ed. Buttmann.). Explicatu vero difficilius est Scholium ad Od. δ. 248. difficultatemque Eustathius auget; quippe qui in universum idem Scholium affert, pro κυκλικῶς autem habet ὁ κυκλικὸς ἤγουν ὁ τῶν κυκλίων ποιητής (p. 166, 9. ed. Bas.). Utrum Eustathius an Scholiasta veram antiqui Grammatici sententiam exposuerit (nam alterutrum falsa docere certissimum est) diiudicare nolo. Si quis tamen Eustathium paulo accuratius inspexerit, facile puto concedet, parum admodum illi hoc loco fidei esse. In Scholio autem οὐ κυκλικῶς eundem, quem η. 115., sensum habere, Heinrichius rectissime pronuntiavit. Et si quis Scholiastae verba ad cyclum epicum velit trahere, sane non video, cur non idem omnes locos, ubi κύκλος aut quodvis aliud eiusdem etymi vocabulum legitur, huic argumento immisceat. Maneat obscura Scholiastae annotatio, id nihil ad rem: non enim in voce κυκλικῶς haec obscuritas inest, neque in prima quidem Scholii parte. Porro in Scholio Harl. ad Od. π. 195. hoc legitur: θέλγει· ἡ κυκλική,

θέλγεις. Similiter ad Od. ρ. 25. Boeckhius his locis eam editionem Homericorum carminum, quae in cyclo i. e. cum poetis cyclicis ceteris circumlata sit, significari putat; eamque coniecturam Buttmannus amplectitur et confirmare conatur. Sed est sane huius editionis cycli aliud vestigium nullum; et Θηβαῒς ἡ κυκλικὴ eam nihil omnino probat. Atque mihi quidem in duobus illis Scholiis nulla difficultas videtur remanere, si κυκλικὴ idem ac vulgata, κοινή, (sive ἔκδοσις sive γραφὴ) significare statuis. Quae explicatio quum satis confirmata sit, eo minime suspiciosa redditur, quod vocabulum illud bis tantum sic invenitur. Praeterea notandum est, utrumque locum in Scholiis Harl. occurrere. Verum (possunt enim me difficultates facile effugere) penes doctos illos viros sit iudicium.

Pars posterior.

De poematis et poetis cyclicis.

Iam ad alteram partem dissertationis, qua poemata cycli et auctores eorum indagentur, progrediendum esse videtur: quae quidem quaestio sane difficillima est. In ea enim maxime veterum testimoniorum subsidia requiruntur, quibus deperditis ultra probabilitatem quandam saepe nihil reperiri potest. Etenim quum in paucis illis carminibus, quae veteres aliqui scriptores cyclicorum numero expressis verbis forte inserant, non liceat acquiescere (fuit enim numerus eorum longe maior); etiam evanescentia huius rei vestigia, dummodo ulla in remota antiquitatis obscuritate discernantur, diligenter consideranda sunt. His vero examinandis ut certissima veritas ubique enudetur, nemo iusto postulabit: quamquam ea nos speramus inventuros esse, quae ad illam proxime accedant.

Theogoniam, Titanomachiam et Gigantomachiam in cyclo fuisse ex Eusebio discitur (Praepar. Evang. I. 10. p. 39.): atque Titanomachiam etiam Athenaeus in carminibus cyclicis numerat (l. VII. 3. p. 277.). Homeri carmina in cyclo posita fuisse ex Aristotele satis patet (Sophist. Elench. I, 9. cf. supra II.): cui

in Iliade quidem Etymologus Magnus consentit (v. supra IX.). Iliadem parvam autem in cyclo locum obtinuisse non solum e Scholiastis ad Aristophanis Equites (v. 1053.) discitur, verum etiam ex eo, quod Leschem, qui illius carminis auctor plerumque habitus est cuiusque aliud poema nullum innotuit, Alexandrinus Clemens cycli poetam fuisse ait (Strom. l. I. p. 333.). Quoniam autem propter id ipsum, quod carmina eius cyclo comprehensa erant, poeta ipse cyclicus fuit et dictus est; unumquodque carmen poetae alicuius cyclici, dummodo tale sit, ut argumento cycli congruat, in cyclicis numeretur oportet: nisi quis forte sufficienter docere possit, aliquod eius poema in cyclicorum numero non esse. Haec lex omnino necessaria est, ne disputatio nimis incerta sit et vagetur; et si qui secus iudicent, rem non satis perspicere videntur. Quare quum Athenaeus (l. VII. 3. p. 277.) et Clemens (l. c.) Eumelum Corinthium poetam cyclicum esse doceant, Corinthiaca eius et Europiam (nam Bugonia alienum a cyclo argumentum erat) in carminibus cyclicis iusto recteque numero. Ex iisdem (ll. cc.) Arctinum Milesium cyclicum esse intelligitur: quis igitur dubitet, quin eius *Αἰθιοπὶς* et *Ἰλίου πέρσις* in cyclo recte ponantur? Sed quo nunc tendo, id quidem nonnullis, quum multis virorum doctorum prorsus contrarium sit, mirum sane videbitur. Nam unumquodque carmen epicum, quod Homero veterum hominum vulgari opinione, non Graeculorum ineptiis, adscriptum est, cyclicum esse aio. Quod quidem iis hominibus, qui ut magni cautique critici personam ferant, gloriari in dubitationibus solent et ubique ab assensu sustinere se student, nequaquam volo persuadere: si quem vero coniecturae probabiles movent ex historicis argumentis haustae, eum ad hanc sententiam ac-

cessurum esse plane confido. Carmina autem, quae Homero adscribuntur, haec sunt: *ἔπη Κύπρια, Ἰλιάς, Ὀδύσσεια, Ἰλιὰς μικρά, Θηβαῒς ἡ κυκλική, Ἐπίγονοι, Νόστοι, Οἰχαλίας ἅλωσις, Ἀμαζονικά.* Quae omnia duobus exceptis, quae ultimo loco nominavi, cyclica esse partim iam vidimus, partim aliunde, facile apparebit. Quare inductione quadam ductus non temere videaris concludere, duo etiam illa pertinuisse ad cyclum. Nolo enim Aristotelis auctoritatem gravissimam mihi praetendere dicentis, Homeri *ποίησιν* in cyclo esse. Forent enim qui dicerent, Aristotelem tantummodo de Iliade et Odyssea cogitare. Sed multum illi rei tribuendum esse puto, quod veteres universum cyclum Homero adscribunt (v. supra II. V.). Deinde quoniam Homerus hoc loco nomen quasi appellativum est et nihil aliud significat, nisi eos poetas omnes, qui carmina epica mera et vera composuerunt, sive veros et antiquos Homeridas; etiam illud sententiam nostram haud parum confirmat, quod plerique cyclici, quorum nomina scimus, aut discipuli Homeri dicuntur aut alio quocunque modo cum patre poesis coniunguntur (cf. infra vv. II.). Quam sententiam si paulo longius persequimur, non improbabile videtur, cycli poetas esse eosdem ac veros et antiquos Homeridas. Huc duo argumenta alia accedunt haud leviora. Anonymus in Vita Sophoclis dicit, hunc poetam in mythis tractandis Homerum sequi solitum esse (p. XII. Brunck.). Iam vero paucissimas aut nullas tragoedias tragicorum princeps composuit, quarum mythi in nostro Homero, id est, in Iliade et Odyssea, enarrentur; ut illud maximam partem falsum sit. Verum Anonymus ille, quae conscripsit, a bonis auctoribus fere omnia sumta sunt, ut non temere iudicaverim, cum temere hoc scripsisse. Quo accedit, quod Sophocles non propter solam si-

militudinem ethographiae et dictionis formae, verum etiam propter mythos ex Homero haustos φιλόμηρος dictus esse videtur. Quare equidem prope inducor, ut Anonymi sententiam revera hanc esse putem, Sophoclem tragoediarum argumenta ex Homero sumsisse: id quod verissimum est, si Homeri sive Homeridarum carmina eadem atque cyclica esse statuimus. Rectissime enim Athenaeus (l. VII. 3. p. 277.) et cum Anonymo illo plane consentiens sic scribit: Ἔχαιρε δὲ Σοφοκλῆς τῷ ἐπικῷ κύκλῳ, ὡς καὶ ὅλα δράματα ποιῆσαι κατακολουθῶν τῇ ἐν τούτῳ μυθοποιΐᾳ (v. Casaub. ad h. l.) Alterum illud, quo haec sententia confirmatur, Eusebii quidam locus suppeditat. Is enim (Praep. Evang. l. I, 10. p. 39.) Ἔνθεν, (inquit) Ἡσίοδος οἵ τε κυκλικοὶ — Θεογονίας καὶ Γιγαντομαχίας καὶ Τιτανομαχίας ἔπλασαν κ. τ. λ. Quamquam enim non ignoro, Eusebii auctoritatem his in rebus parum valere, puto tamen ei propterea aliquid tribuendum esse, quod haud dubie eiusmodi res omnes ex scriptoribus antiquioribus duxit. Hoc loco autem Hesiodus a cyclicorum numero excluditur; nam cum interprete Latino (v. Viger. edit.) ἄλλοι ad κυκλικοὶ subaudire falsissimum est. Quare cum quibusdam viris doctis Hesiodum sive Hesiodios cyclicorum numero inserere non licet: et si quod carmen Hesiodio more compositum esse constat, recte inde cyclicum id non esse concluditur. Et sane ratio, puto, neminem latet, cur Hesiodia poesis in cyclum illata non sit; nam ad epici carminis naturam ea vix propius accedit, quam hymni Homerici: sacerdotale epos dixeris. Homeridarum contra poesis mere epica est, atque omnium Homeridarum poematum illud commune est, ut historica sint, in eoque solo differunt, quod alia naturali filo factorum deducta, alia singulari arte vel potius admirabili quodam ingenio com-

posita sunt. Alia genera poësis epicae inter Graecos nec fuere, neque omnino esse potuerunt. Quoniam igitur Hesiodiorum poema nullum in cyclo locum obtinuit, necesse est, ex Homeridarum carminibus constitisse cyclum. Quo accedit, quod Eumelus, poeta cyclicus, etiam historicus dicitur (Schol. ad Pind. Ol. XIII, 74.). Iam vero in Homeridarum numero eos tantum poetas epicos refero, qui vel ante Solonem et Pisistratum, vel illo ipso tempore vixerunt. Nam qui huic aetati successerunt, ab antiquis illis mirum quantum diversi sunt et rectius Homeristae, quam Homeridae vocantur; nisi forte unus aut alter exstitit, in quo ingenium et virtus antiquorum vigebat. Talis fortasse Eugammon Cyrenaeus c. Ol. 53, auctor Telegoniae cyclicae, fuit. Plerosque autem poetas, qui postea poesin epicam tractare conati sunt, ab antiquorum excellentia degenerasse iustoque artificiosius epicam Musam ornasse, vel ex iis apparet, quae de Antimachi Thebaide, nobilis alioquin poetae, narrantur (cf. loc. Vet. de eo ap. Schellenberg. Antimachi Coloph. Reliq. Hal. 1786.). Ceterum in his nullum esse cyclicum, sponte apparet ex iis, quae supra disputata sunt (Part. pr. V.). Quamquam autem antiquorum Homeridarum numerus non adeo magnus fuisse videtur, ut cyclo ex eorum poematis completo multi remanerent, quorum carmina in cyclum recepta non sint; tamen sine ullo testimonio Homeridam quemquam cyclicum dicere non licet, ne contra Aristotelis, Procli aliorumque auctoritatem cyclus ipse funditus tollatur. Iam vero optima quaeque Homeridarum carmina in cyclum recepta esse verisimile est: cui sententiae Proclus non repugnat dicens, cycli carmina *οὐχ οὕτω διὰ τὴν ἀρετὴν, ὡς διὰ τὴν ἀκολουθίαν τῶν ἐν αὐτῷ πραγμάτων* lecta esse. Non enim bona carmina cuiusque argu-

menti exstabant, ut etiam minus laudabilia ad cyclum perficiendum suscipi necesse fuerit. Ante omnia igitur ea carmina in cyclicis rectissime numerantur, quae quidem digna existimata sunt, quae ipsi Homero, principi Homeridarum, adscriberentur; atque haec quidem testimoniorum auctoritate vidimus confirmari. Et quae poemata cyclica praeterea nominantur, admodum aestimata sunt. Sic Thebais cyclica ipso Homero digna iudicata ex Pausaniae iudicio (cf. infra.) proximum ab Odyssea locum tenuit. Et cetera cycli poemata meliora fuisse, quam temeraria opinio vulgo iudicat, fragmenta reliqua comprobant. Hinc factum est, ut, quemadmodum supra aliquoties animadvertimus, non solum tragici et in iis maxime Sophocles, sed quicunque historiam mythicam e puris fontibus haurire vellent, cycli carmina adirent. Sic Dionysium cyclum historicum e poetis cyclicis conscripsisse verisimile est (cf. supra.). Porro artifices in signis, anaglyphis picturisque conficiendis carmina cyclica maxime secutos esse, etiam probabilius est. Nam eos in eximiis suis operibus carmina plerumque expressisse ex historia artium notum est; et quid Graeci ipsi ab iis exegerint, praeter alios Pausanias docet (l. X. 25, 2. δῆλα οὖν ὡς κ. τ. λ.). Quum enim artifices illi antiqui non singulis spectatoribus eruditis, sed universo populo opera elaborarent, quumque ab omnibus, idque sine commentariorum mole, intelligi vellent; necessario mythos in iis ita repraesentare debuerunt, ut in omnium animis vigebant. Iam vero cycli carmina, sicut eorum argumenta ex ore populi ducta erant, sic mythos ipsos eorumque vigorem in populo servarunt, ne interirent. Sed hanc sententiam noli sic accipere, quasi nullus artifex tragicorum aliorumve carmina unquam secutus sit. Verum si quis eorum in conficien-

dis operibus suis epe antiqua ante oculos habebat, satis superque probabile est, cyclica poemata eum secutum esse. Polygnotus autem, pictor ille celeberrimus, in tabula sua Troica (sic enim non inepte eam vocaveris), qua Lesche Delphica exornata erat, secundum Pausaniae iudicium, cui non parum hac in re tribuendum est, haec potissimum carmina secutus est: Homeri Iliadem et Odysseam, Iliadem parvam, Leschis *Ἰλίου πέρσιν*, carmen Cyprium, Minyada. Haec autem poemata omnia praeter Minyada cyclica esse constat; ut vix ullum dubium relinquatur, quin etiam hoc carmen, ut per se satis probabile est, in cyclo fuerit. At Pausanias Polygnotum etiam ex Stesichoro aliisque, quos nonnisi temere cyclicos dicas, nomina aliquot sumsisse contendit. Sed puto aliud est, singula nomina ab aliquo mutuari; aliud in ipsis imaginibus earumque coniunctione aliquem sequi. Et quoniam complura nomina in tabula illa exstabant, quorum mentionem nullo in antiquo scriptore aut poeta Pausanias potuit invenire; non inepte suspiceris ea omnia e carminibus sumta esse Pausaniae ignotis vel iam tum deperditis: ut Polygnotus ex eodem fonte, quo Stesichorus ceterique, e carminibus cyclicis, hauserit. Et mihi quidem, postquam Quinti Smyrnaei poema et Tzetzae centonem atque ea, quae de Arctini carminibus scimus, inter se comparavi, fere videtur Arctinus ille esse, quem Polygnotus hic secutus sit. Arctinum autem quin Pausanias ignoraverit, nullum dubium est; nam neque Aethiopidem eius, neque Ilii persin ullo in loco commemorat.

Si qui autem sunt, qui tabulam Iliacam (v. Mus. Capit.) et fragmentum tabulae marmoreae ab Heerenio illustratum (v. Bibl. vett. litt. et artt. fasc. IV.

p. 43. etss.) et si quae sunt his similia, huc referenda esse censeant ex iisque comprobare velint, hoc illudve carmen cyclicum fuisse; uti non videntur ratione satis probabili. Eiusmodi enim tabulae recentioris antiquitatis (ut ipse Heerenius l. c. bene coniecturat) non in publicum usum confectae sunt, sed dum carminum, quae forte legerentur, argumenta praecipua repraesentarent, in Scholarum umbra propositae esse videntur, quo pueri facilius, eas intuentes, mythos memoriae mandarent. Ergo tum demum constituere licet, omnia illa poemata, e quibus argumenta harum tabularum sumta sunt, cyclica esse; quum edocti erimus, recentiore illo tempore cyclica carmina sola et prae ceteris carminibus epicis in scholis lecta esse. Quod quamquam Procli verba, „ὡς τοῦ ἐπικοῦ κύκλου τὰ ποιή„ματα διασώζεται καὶ σπουδάζεται τοῖς πολλοῖς (v. Part. Prim. init.)" paululum possunt confirmare; tamen haec argumentatio artificiosior, quam verior est. Quare quod Heerenius (l. c. p. 51.) quae carmina in illo fragmento laudantur, omnia esse cyclica ait, quasi res nulli dubitationi sit obnoxia, id recte mireris.

Iam vero eo progredimur, ut carmina, quorum argumenta excerpta e Procli Chrestomathia supersunt, in cyclo epico fuisse breviter ostendamus. Quamquam enim ne doctissimi quidem viri hoc dubitarunt (v. Wolf. Proleg. ad Hom. p. 126. Heyn. variis ll.); tamen, quoniam nuspiam id expressis verbis dictum est, nostrum esse ducimus, breviter id comprobare. Proclus igitur in Chrestomathia Grammatica de cyclo epico cyclicisque poematis et poetis fusius disseruit (v. Photii loc. supra laud.). Etsi autem Photius, argumenta carminum sive cyclicorum sive aliorum Proclum confecisse et descripsisse, non diserte pronuntiat;

tamen illud saltem ex eo discimus, Proclum de cyclicis carminibus, quae fabularem historiam perpetua et naturali serie complecterentur, in Chrestomathia Grammatica disputasse. Quoniam igitur illa carminum argumenta ex eodem libro excerpta sunt et ita se subsequuntur, ut partem certe fabularis historiae illo modo complectantur; nemini dubitare licet, quin haec sint argumenta cyclicorum aliquot carminum; quum praesertim nulla causa alia excogitari possit, cur verbis argumento cuique superscriptis indicetur, quem in serie locum quodque carmen teneat. Atque omnis denique dubitatio eo tollitur, quod pleraque horum carminum cyclica esse, aliunde notum est. Alia autem quaestio est, num forte Proclus haec pauca tantum carmina, quippe quorum argumenta integrum fabularum complexum comprehenderent, in cyclo posuerit; ut si quis multo plura poemata cyclica esse iudicet, ille Grammaticus repugnet. Atque hoc ipsum viros aliquot doctos a vero seduxisse videtur, ut carmina apud Proclum constituisse cyclum Troianum a cyclo epico diversum opinarentur. Verum si quis Proclum ad hoc somnium confirmandum imploraret; non modo surdas aures, sed etiam auctorem vehementer reclamantem experiretur. Quorsum enim, quaeso, verba argumento carminis Cyprii superscripta mihi referas, nisi ad poemata sive poematum argumenta, quae praecesserunt? (v. infra 20.) Si quis tamen nihilominus veterum testimonia requirit, Photium inspiciat (v. Part. prior. I.). Nunc igitur ea carmina enumeremus breviterque pertractemus, quae vel certo vel probabiliter cyclica fuisse doceri potest.

1. Θ ε ο γ ο ν ί α.

Theogoniam aliquam in cyclicorum carminum numero fuisse non solum ex argumento cycli apparet, sed etiam testimonio Eusebii (Praep. Evang. I. 10.) confirmatur. Quaenam autem illa fuerit cuiusque auctoris, mihi quidem omnino incompertum est. Et quoniam nullus de ea locus apud veteres scriptores nunc videtur exstare, non puto illud unquam posse indagari. Id tamen nobis exploratum est, Theogoniam cyclicam non esse ab Hesiodo confectam, uti aliquot virorum doctorum opinio est (v. Heyn. Comm. de Apollod. Bibl. p. XXX. Casaub. ad Athen. VII. p. 479.). Fortasse non male aliquis suspicetur, Cinaethonis Lacedaemonii Theogoniam cyclicam fuisse. Quoniam enim poeta ille circa Ol. 5. floruit (v. Eusebii Chron.) eiusque etiam alia carmina cyclica fuisse videntur (v. infra Oedip. et Teleg.), haec coniectura aliquid certe probabilitatis habet. Sed non parum tamen patria Cinaethonis huic coniecturae adversatur. De ipsa autem Theogonia eius, quae secundum Heerenii probabilem sententiam (Bibl. vett. litt. et artt. fasc. IV. init.) etiam Heroogoniam complexa est (cf. Paus. II. 3, 7; II. 18, 5; IV. 2, 1; VIII. 53, 2), consulere licet Lil. Gyraldum (in Dialog. de vit. poet. p. 120.) et Heerenium (l. c.). Restat hoc loco ut moneam, Cosmogoniam in cyclo qui ponant, eos non solum ex mero arbitrio id facere, sed etiam manifesto errare, quia nullius omnino poematis vere epici, quod singulare hoc argumentum pertractarit, in antiquis uspiam mentio fit.

2. Τ ι τ α ν ο μ α χ ί α.

Titanomachiam, cuius argumentum ex ipso indice apparet (v. Apollod. I. 1. etss. ibiq. Heyn. Obss.) in

cyclo fuisse praeter Eusebium (l. c.) etiam Athenaeus (l. VII. 3. p. 277.) egregio loco confirmat. *Οἶδα* (Zoilus quidam loquitur) *ὅτι ὁ τὴν Τιτανομαχίαν ποιήσας, εἴτ' Εὔμηλός ἐστιν ὁ Κορίνθιος ἢ Ἀρκτῖνος ἢ ὅστις δήποτε χαίρει ὀνομαζόμενος, ἐν τῷ δευτέρῳ οὕτως εἴρηκεν·*

Ἐν δ' αὐτῇ πλωτοὶ χρυσώπιδες ἰχθύες ἔλλοὶ
νήχοντες παίζουσι δι' ὕδατος ἀμβροσίοιο.

Ἔχαιρε δὲ Σοφοκλῆς τῷ ἐπικῷ κύκλῳ, ὡς καὶ ὅλα δράματα ποιῆσαι, κατακολουθῶν τῇ ἐν τούτῳ μυθοποιΐᾳ. Huius loci, qui non unam ob causam memoria dignus est (nam etiam illud ex parte saltem illustrari inde potest, cur Sophocles, ut Eustathius p. 1140, 26. docet, *φιλόμηρος* dictus sit) huius igitur loci ansam illud dedit, quod apud Sophoclem vocabulum *ἐλλοὶ* inveniatur. Si quem forte *χρυσώπιδες ἰχθύες* in priore versu offendant, inspiciat notam Erfurdtii ad Sophoclis Oedip. T. v. 109. ed. min. Idem carmen Scholiasta Apollonii Rh. (ad I. 1165.) laudat his verbis: *Εὔμηλος ἐν τῇ Τιτανομαχίᾳ Γῆς καὶ Πόντου υἱὸν τὸν Αἰγαίωνα εἶναί φησιν κατοικοῦντα δὲ ἐν τῇ θαλάσσῃ συμμαχεῖν τοῖς Τιτᾶσιν.* Vulgatior igitur sententia hanc Titanomachiam, quae cyclica erat, Eumelo adscripsisse videtur. Ex eodem carmine duo illi versus sumti esse videntur, quos Clemens Alexandrinus (Strom. I. p. 132.) servat quique ad Chironem spectant. Alium locum autem, quo hoc carmen commemoretur, non inveni; nisi forte Heerenio consentiendum est, in tabula marmorea, cuius ille fragmentum illustravit, eius mentionem factam fuisse (v. Bibl. vett. litt. IV. p. 52. ets.)

3. *Γιγαντομαχία.*

Gigantomachiae argumentum in universum ex Apollodoro discitur (Bibl. I. 6. cum Heyn. Obss.). Quaenam ex compluribus illis, quae olim legebantur,

ad cyclum pertinuerit a quoque illa sit composita, ut nunc inveniatur fieri omnino non potest. Si qui enim Eumelum eius auctorem dicunt, Gigantomachiam et Titanomachiam confundere videntur, quemadmodum fabulae ipsae solent permisceri. Sed multum tamen probabilitatis habet, Gigantomachiam incerti auctoris, quam Scholiasta Apollonii Rh. (ad I. 555.) laudat quamque Apollonius in genealogia Chironis secutus esse videtur, cyclicam fuisse. Quum enim quodque carmen cyclicum longe antiquissimum esset atque Homero, sicut universus cyclus, adscriberetur; accidit ut veri auctores carminum cycli tantum non omnium in incertum abierint. Sic auctor carminis Cyprii plerumque dicitur ὁ τὰ Κύπρια πεποιηκώς, etc. Quamquam non ignoro, etiam in aliis carminibus, quae cyclica non sunt, illud interdum fieri. Sed (nam taedet me amplius coniecturare) illud certe constat, unam aliquam Gigantomachiam in cyclo fuisse (v. Euseb. l. c. supra Part. pr. I.).

4. Ἡ ρ ω ο γ ο ν ί α.

Tria haec carmina Heroogonia haud dubie excepit, siquidem ex argumento cycli aliquid licet concludere. Quoniam enim heroes magnam vel potius maximam mythologiae partem continent, in cyclo carmen, quod originem et historiam eorum breviter universeque pertractaret, non temere iudicarim desideratum esse. Quamquam nolo negare hoc argumentum Theogonia potuisse absolvi; quod, si Cinaethonis Theogoniam in cyclo fuisse ponamus eamque, ut quibusdam videtur, a Pausania (l. II, 3, 7 etc.) respici, revera factum est. Si tamen singulari aliquo carmine cycli fabulae heroogonicae pertractatae sunt, nullum poema aliud (quoniam in probabilitatum gyrum usque hic com-

pellimur) ea probabilitate, qua Naupactium, cyclicis annumeratur. Hoc enim carmen, quod sicut Eoeae magnae Hesiodi (quae cyclicae non fuerunt) genealogiam heroum celebrabat (cf. Paus. II. 3, 7; IV, 2, 1. et praecipue X, 38, 6.) admodum antiquum fuit et celeberrimum, ut de auctore eius iam ante Herodoti aetatem disceptaretur. Etenim Charo Lampsacenus (v. Suidas), cuius sententiam Pausanias sequi se ait, iam dubitanter illud Carcino Naupactio tribuit. Alii autem alium eius auctorem (Paus. l. c. Schol. ad Apollon. Rh. II. 299.) vel etiam incertum quendam laudant (Apollodor. III. 10, 3. Schol. Apoll. Rh. vv. ll.). Sed quoniam procul dubio carmini nomen a patria auctoris inditum est (v. Paus. l. c. Ryck. dissert. de primis Ital. col. X. 85; Groddeck. in Bibl. vett. litt. et artt. fasc. II. p. 93. not.), Charonis sententia omnium verisimillima est. Neque talis appellatio mira cuiquam videri debet. Commercio enim litterarum et artium antiquis illis temporibus nondum satis divulgato carmina, quo loco composita erant, eo praecipue decantata et si quae ceteris praestabant, simpliciter ἔπη dicta esse videntur. Quae quum aliae Graeciae civitates reciperent, a ceteris patriae nomine distinxerunt. cf. infra 20.

Iam viri docti aliquot statuunt carmina secuta esse multa, quae heroes principes atque adeo auctores clarissimarum urbium celebrarent (cf. Heynii Exc. I. ad Aen. II. et al.). Fuerunt autem carmina multa et antiqua, partim herois partim urbis nomine insignita, quibus fabulae illae exponerentur. Quare illa sententia, quae Proclianae descriptioni cycli optime consentit, per se nequaquam improbabilis est. Huc accedit, quod aliquot saltem poemata huius argumenti

cyclica fuisse constat; ut rationem non facile exploraveris, cur alia ad perficiendum cyclum non minus necessaria ab iis eximantur. Quum autem nihilominus pleraque haec coniecturis nitantur, nonnisi praecipua aliquot eorum carminum, quae cyclica aliis aut mihi habentur, idque quam brevissime, percensebo. Et si quae carmina sola coniectura cyclicis annumerantur, iis asteriscum apponam.

5. Δαναΐς (Φορωνίς, Ἰναχίς).*

Danaidem Heynius, coniectura ductus (non enim exstant veterum testimonia) in cyclo primus posuit (Exc. I. ad Aen. II. p. 354. et al.); idemque cum Salmasio (in Solin. p. 595. B.) Phoronidem addit. Sed fortasse satius est, unum tantum horum carminum in cyclum ponere; quia Inachi, Phoronei Danaique fabulae arto et necessario vinculo cohaerentes, et quod minus celebres copiosaeque erant, uno carmine pertractatae videntur. Heerenius Danaidem, quae in fragmento tabulae marmoreae commemoratur et versus 5500 complexa esse dicitur, cyclicam esse pronuntiat (Biblioth. vett. litt. et artt. fasc. IV. p. 56. ets.); verum quo iure, iam supra vidimus. Phoronidem incerti auctoris, ex qua Scholiasta Apollonii Rh. (ad I. 1129.) sex versus servavit, quo minus pro carmine cyclico habeam, ipse color versuum prohibet, qui nec satis antiquus neque Homericus esse mihi videtur. Si eadem est illa Phoronis, quam Clemens Alexandrinus (Strom. l. I. p. 138. 151.) laudat; ex priore eius loco facile intelligitur, quomodo historia de Idaeis Dactylis, ad quam versus apud Scholiastam Apollonii pertinent, intertexta fuerit.

6. Κορινθιακά.

Eumeli Corinthiaca, carmen epicum non raro ab antiquis auctoribus, qui supersunt, laudatur. Est autem hoc poema, quod praeter res Corinthiacas antiquissimas etiam Medeae historiam fabulasque Argonauticas comprehendit, in cyclicorum numero (v. supra Part. sec. init.). Argumentum eius accuratius describerem; si, quod ad rei intelligentiam necessarium est, omnes de Eumelo locos, qui in antiquis scriptoribus leguntur, pertractare hic liceret: quod quoniam spatii angustiae non patiuntur, tota illa materies in singularem quaestionem seponenda est. Interim consulas Groddeck. in Bibl. vett. litt. et artt. fasc. II. p. 95. etss. Heynii Indic. scriptor. ab Apollod. laud. s. n. Ruhnken. Ep. Crit. II. Op. II. p. 608. ets. Pausanias Corinthiaca Eumeli ipsa non legit, sed epitomen eorum prosa oratione confectam (cf. II. 1, 1; II. 3, 8. cum Schol. Pind. ad Ol. XIII. 74.). Et videtur fere iam illa aetate hoc poema deperditum fuisse; nam Tzetzes (ad Lycophr. v. 174.) et Scholiasta Apollonii Rh. (ad I. 146; II. 948; III. 1372.) suis oculis illud nunquam usurparunt: prior ille ex Theopompo Chio sapientiam suam hausisse se confitetur. Eumelus autem Corinthius ex genere Bacchiadarum oriundus nobili et antiquo in Olympiadum decade prima floruit. vid. Eusebii Chron. ad Ol. 4. et 9.

7. Ἀλκμαιωνίς.*

Ἀλκμαιωνὶς sive Ἀλκμαιονὶς (v. Bentl. Ep. ad Mill. p. 469. in Op. ed. Lips. Heynii Obss. ad Apollod. p. 352. Tzschucke ad Strab. X. 2, 9.) facta et fata Alcmaeonis celebravisse et praecipue fabulas Aetolorum et Acarnanum, utpote sibi cognatas (cf. Strab. X. 2, 1. etss.) enarrasse mihi videtur. Quomodo poeta

ab Alcmaeone ad Aetolos et Acarnanas transire potuerit, ipsa historia docet atque in universum ex Apollodoro discere licet (III. 7, 5. etss.). Has autem fabulas pertractasse illum poetam, non attigisse, certum est. Apollodorus enim (I. 8, 5.) ita scribit: *(Τυδεὺς ἐφυγαδεύθη κτείνας), ὡς ὁ τὴν Ἀλκμαιωνίδα γεγραφὼς (λέγει), τοὺς Μέλανος παῖδας ἐπιβουλεύοντας Οἰνεῖ.* Apud Strabonem autem (X. 2, 9.) haec legimus: *Ὁ τὴν Ἀλκμαιωνίδα γράψας Ἰκαρίου, τοῦ Πηνελόπης πατρός, υἱεῖς (λέγει) γενέσθαι δύο, Ἀλυζέα καὶ Λευκάδιον· δυναστεῦσαι δ' ἐν τῇ Ἀκαρνανίᾳ τούτους, μετὰ τοῦ πατρός.* Neminem puto facile explicaturum esse, qua ratione hae res intextae fuerint, nisi latius eas hoc carmine pertractatas esse concedit. Heynius Apollodorum non male suspicatus erat in enarrando Alcmaeonis fato Alcmaeonidem secutum esse, sed postea hanc sententiam reprobavit (Obss. ad Apoll. p. 257.): est tamen causa reprobationis ea, qua vir doctus interdum fallatur (cf. infra ad Carm. Cypr.). De Scholio ad Euripidis Orestem (v. 998.), ubi Alcmaeonis laudatur, Bentleius optime disputavit (Ep. ad Mill. p. 469.). Quare autem hoc poema in cyclo fuisse putem, causa est, quod in argumento cycli requiritur, quod nullum aliud, quod eius locum explere potuerit, notum est quodque illud satis antiquum videtur.

8. *Αἰγίμιος.**

Epos fuisse hoc poema, de quo olim dubitatum est (v. Vales. Emendat. I. 32. p. 38.), nunc quidem inter viros doctos satis constat (cf. Valcken. ad Phoen. p. 735. Heynii Obss. ad Apollod. II. 7, 7. Groddeck. in Bibl. vett. litt. et artt. fasc. II. p. 84.), atque dubitanti eo comprobatur, quod ex eo versus epici adhuc supersunt (v. Steph. Byz. s. v. *Ἀβαντίς.*

Schol. ad Phoen. l. c. Athen. XI. p. 503.). Argumentum eius ab Aegimio, Doriensium auctore inter Oetam et Parnassum incolentium (Schol. ad Pindar. Pyth. I. 121.), exordium cepisse fabulasque omnes ad eam gentem et auctorem eius spectantes breviter videtur exposuisse. Quare Valckenarium rectissime puto suspicatum esse, hoc carmine bellum, quod Aegimius cum Lapithis gessit Hercule auxiliante, pertractatum fuisse (v. ad Phoen. l. c.). In eodem etiam Ius et Argonautarum fabulae, saltem obiter, expositae erant (v. Stephan. Byz. l. c. Schol. ad Phoen. l. c. Schol. ad Apoll. Rh. III. 587.). Qua ratione poeta molem harum rerum aliarumque disposuerit inter seque coniunxerit, docere Groddeckius conatus est (l. c. p. 87 ets.) non sine probabilitate disputans. Unum tamen moneo, quod ei repugnare videtur. Si, ut ille statuit, Argonautis ea intertexta fuerunt, quae Scholiasta Apollonii (ad IV. 816.) de experimento Thetidis narrat; historia Argonautarum, aedificatio Cyrenes quaeque antecedunt, Ius fabula, haec tam multa et diversa secundo in libro exposita esse debebant: quod vix fieri potuit. Iam vero ex iis quae dicta sunt, affatim apparere puto, necessariam cycli partem hoc poemate comprehensam esse et si quid ego iudico, alibi non satis pertractatam. Aegimium autem satis antiquum fuisse, ut cyclicis annumerari possit, ex eo licet intelligi, quod illud carmen vel Hesiodo adscribi solet vel Cercopi Milesio (v. Athen. l. c. Stephan. Byz. l. c.), quem Diogenes Laertius cum Hesiodo concertasse dicit (II. 46.). Ego Cercopem eius auctorem esse statuo (quem illud certamen Homeridam esse significat) aut certe neque Hesiodum neque Hesiodium quemquam. Quis autem Cercops ille fuerit, parum constat. Cicero (de Nat. Deor. I. 38.) et Clemens Alexandrinus (Strom. I. p. 397.) Pythago-

rei Cercopis mentionem faciunt. Quare Menagius (ad Diog. l. c.) duos Cercopes fuisse non male statuit, poetamque multo antiquiorem. Quod Heynius Apollodorum, si Cercopem laudat, Aegimium poema respexisse putat (Obss. ad Apollod. p. 354.); id, quoniam fabulae illae ab argumento poematis non discrepant, per se verisimilitudine minime caret: sed mihi tamen Athenaei quodam loco paululum in dubium vocatur (XIII. 1. p. 557). Licet enim fabula de Theseo et eius uxoribus, quam Athenaeus isto loco e Cercope commemorat, et ipsa in Aegimio locum obtinere potuerit; idcirco tamen eam non statuerim ex eo desumtam esse, quod Athenaeus, qui de auctore eius alio loco dubitat (XI. 15. p. 503.), sic nimiae incuriae vituperationem incurreret. Fortasse igitur hic Cercops, quisquis ille fuit, singulari aliqua συγγραφῇ aut poemate mythica tractavit.

9. Ἡ ρ α κ λ ε ί α.*

In neminem alium tantam molem fabularum saepius sibi discrepantium, quantam in Herculem, antiquitas congessit: rebus fere omnibus eum immiscuit (v. Heynii Obss. ad Apollod. II. 4, 8. p. 132 etss.). Quare vix ullum carmen epicum videtur exstitisse, quod Herculem omnino praeterierit silentio. Erant igitur Gigantomachia (v. Apollod. I. 6. 1. ibiq. Heyn. Obss. p. 31.), Aegimio (v. Αἰγίμιος. Apollod. II. 7, 7, ibid. Heyn. Obss. p. 195), et aliis fata eius et facta enarrata. Praeterea alia carmina historiam eius, ab ipso argumento alienam, obiter attigerunt. Sic auctor carminis Cyprii Nestorem de furore Herculis ἐν παρεκβάσει narrantem fecit (cf. infra 20.). Carminum autem, quae ex instituto Alcidae historiam exponebant quaeque Heracleae inscribebantur, magnus numerus fuit: quorum

in antiquissimis Cinaethonis Heraclea esse mihi videtur (cf. Schol. ad Apoll. Rh. I, 1357.). Aliam multoque celebratiorem Pisander Camirensis, qui Ol. 33. florebat (v. Suidas), composuit (v. Heyn. Exc. I. ad Aen. II. p. 373. Obss. ad Apoll. p. 162. Groddeck. l. c. p. 104 etss.). Num alterutrum horum poematum cyclicum fuerit, nescio (Pisandrum tamen cyclicis non annumeraverim); atque potuit locum eius *Οἰχαλίας ἅλωσις* optime explere.

10. *Οἰχαλίας ἅλωσις.*

Hoc poema non solum expugnationem Oechaliae, verum etiam alia facta fataque Herculis comprehendit: aliter enim vix potuit fieri, ut quae ad Medeam liberosque eius pertineant, in eo lecta sint. Hoc autem Scholiasta Euripidis (ad Med. v. 273.) docet. *Δίδυμος* (inquit) *παρατίθεται τὰ Κρεωφύλου ἔχοντα οὕτως κ. τ. λ.* Qui locus ad carmen nostrum spectat sine ulla controversia. Quum enim Creophylo *Οἰχαλίας ἅλωσις* vulgo adscribatur (ut illico videbimus) quumque nullum aliud eius carmen aut clarum aut notum sit; dubitari non potest, quin *Οἰχαλίας ἅλωσιν* Didymus voluerit intelligi: nisi quis forte velit somniare, Creophylum quendam recentioris aevi, quem de finibus Ephesiorum Athenaeus scripsisse tradit, a Didymo laudari (v. Athen. l. VIII. 16. p. 361. c.). Porro Clemens Alexandrinus (Strom. VI. p. 628.) Panyasin dicit a Creophylo Samio *τὴν Οἰχαλίας ἅλωσιν* furatum esse eamque tamquam suum ipsius poema (de Heraclea eius cogitat) edidisse. Quibus verbis si quid veri subest (nota est enim Clementis hoc in libro docta et molesta temeritas, qui optimos quosque scriptores plagiarios esse verbis similibus vel sententiis investigandis probare studet) si quid igitur veri iis subest; in eo positum esse debuit,

quod Panyasis, non mediocris poeta (ut versus eius superstites ostendunt pleni dulcedinis et epicae simplicitatis), in ipsa historia Creophylum plerumque secutus sit. Ea quae dicta sunt, eo valent ut in *Οἰχαλίας ἁλώσει* historia Herculis copiosius, quam vulgo putatur, tractata sit. Quibuscum Pausanias in Messeniacis (2, 2.) plane consentit. *Θεσσαλοὶ καὶ Εὐβοιεῖς* (inquit,) *λέγουσιν — οἱ μὲν ὡς τὸ Εὐρύτιον πόλις τὸ ἀρχαῖον ἦν καὶ ἐκαλεῖτο Οἰχαλία· τῷ δὲ Εὐβοιέων λόγῳ Κρεώφυλος ἐν Ἡρακλείᾳ πεποίηκεν ὁμολογοῦντα.* Facius ad Pausan. l. c. cum Menagio (ad Diog. Laert. VIII. 2.) pro *ἐν Ἡρακλείᾳ* scribendum esse *ἐν Οἰχαλίᾳ* censet. Sed causa mutationis nulla; et qui potuerit librarius titulum omnibus notissimum (*Οἰχαλίας ἅλωσις*) in alium nemini nunc notum, praesertim quum hoc loco de Oechalia sermo sit, corrumpere, ego non video. Atque *ἐν Οἰχαλίᾳ* pro *ἐν Οἰχαλίας ἁλώσει* praeter Tzetzen (Chiliad. XIII. 659.), qui multa inepte dicit, nemo unquam dixit. Alia est Bentleii coniectura (Ep. ad Mill. p. 504.), qui *ἐν Ἡρακλείᾳ* in *Ἡρακλέα* mutato sic interpretatur: „Euboeensium autem sententiae Creophylus Herculem induxit convenieter loquentem.“ Verum haec sententia e persona Herculis prope est inepta, nisi cui forte, quod valde dubium est, statuere placeat, Herculem casu quodam haec dixisse. Minus etiam audiendus est Gerardus Vossius, qui Creophyli Heracleam et *Οἰχαλίας ἅλωσιν* diversa esse carmina opinatur. Itaque dubitari vix potest, quin Pausanias carmen nostrum propter ipsius argumenti ambitum alio nomine satis apto *Ἡρακλείαν* vocarit. Auctorem huius carminis veteres scriptores modo Homerum, modo Creophylum Samium esse dicunt. Vulgatior tamen sententia et probatior Creophylo illud adscribit. Photius (Lex. p. 131 ed. Herm.) primis verbis e Platonis Republica (l. X. p. 600.) sum-

tis ita scribit: Ὁ γὰρ Κρεώφυλος, ὦ Σώκρατες, ἴσως ὁ Ὁμήρου ἑταῖρος· τοῦτόν τινες καὶ διδάσκαλον Ὁμήρου λέγουσι γεγονέναι, καὶ ἔστιν αὐτοῦ ποίημα Οἰχαλίας ἅλωσις· ἀρχαῖος μὲν οὖν ἐστι, νεώτερος δὲ ἱκανῶς Ὁμήρου (cf. Bentl. opusc. p. 503.). Callimachus in epigrammate (apud Strab. XIV. 1. 18. et Eustath. ad Ili ad. β. p. 330.) Creophylum indignantem facit, quod iniuste nonnulli Οἰχαλίας ἅλωσιν Homero adscripserint. Homero autem secundum antiquiorum auctoritatem Suidas (s. v. Ὅμηρος), Proclus (v. Bibl. vett. litt. et artt. fasc. I. Ined. p. 11.), Tzetzes (l. c.), Eustathius (l. c.) illam adscribunt.

11. Μ ι ν υ ά ς.*

Minyas Minyarum et Orchomeniorum fabulas sive mythicam historiam complexa esse videtur eique a Minya, Orchomeniorum rege primo (v. Schol. ad Pind. Ol. XIV. 15.) nomen inditum est. Procul dubio etiam Argonautarum fabulae, qui et ipsi Minyae dicebantur (v. Schol. ad Pindar. Pyth. IV. 120. Apoll. Rh. I. 230.), in hoc carmine expositae erant. Pausanias quinquies (IV. 33, 7. X. 28, 1. 4. X. 23, 2. IX. 5. 4.) e Minyade locos laudat, in quibus inferorum fabulae commemorantur. Primo loco Prodicum Phocaeensem huius poematis auctorem esse dubitanter dicit. Ex unoquoque autem eius loco apparet, unum tantummodo carmen huius argumenti et indicis eum novisse. Prodicum illum alio loco ego commemeratum non inveni; eum autem aut certe carmen, cuius auctor ferebatur, admodum antiquum fuisse ex ipso Pausania licet intelligi. Vix igitur dubitarim, quin in cyclo fuerit. Aliam rationem huius sententiae supra vidimus. In fine Mohnikii errorem placet notare, qui (Histor. litt. Gr. et Rom. p. 197.) Minyadem et Epigonos idem carmen esse temere coniicit.

12. *Ἀ τ θ ί ς.* **

Complures olim, quibus res Atticae tractabantur, Atthides exstitisse, notum est (Casaub. ad Strab. l. V. p. 339. not. 2.). Unam, fortasse antiquissimam, Hegesinus composuit, e qua Pausanias quatuor versus de Ascra condita servavit quaeque Pausaniae temporibus iam deperdita erat (v. IX. 29. 1.). Alio tamen loco (X. 15, 3.) idem Pausanias Clitodemum (qui certe post Ol. 90. vixit) omnium, qui *τὰ τῶν Ἀθηναίων ἐπιχώρια* scripserint, antiquissimum esse dicit: quod testimonium nisi, ut mihi videtur, ad *συγγραφέας* pertinet, nulla omnino Atthis cyclica esse potuit. Et sane fatendum est aliis carminibus, quae cyclica erant, res Atticas esse satis pertractatas. Sed quoniam viri docti nonnulli Atthida aliquam cyclicam fuisse statuunt, eam nolui praeterire.

13. *Θ η σ η ΐ ς.*

Theseidem Atticae historias priscas complexam esse constat (v. Aristot. Poet. c. 8.). Unam quae longe antiquissima videtur, Aristoteles (l. c.) laudat. Aliam Nicostratus (vel Pythostratus) composuit, frater Xenophontis cuiusdam, qui Epaminondae et Pelopidae vitas scripsit (v. Diogen. Laert. II. 59. Heyn. Obss. ad Apollod. p. 348.). Tertiam denique Theseidem Diphilus fecit, quae si Scholiastis Pindari credere licet, iambis erat conscripta (v. ad Ol. X. 83.). In altero enim Scholio haec legimus: *Παρατίθεται* (ὁ *Δίδυμος*) *δὲ καὶ τὸν γράφοντα τὴν Θησηΐδα μαρτυροῦντα τῷ ἥρωϊ τὴν τοῦ ἅρματος ἡνιοχευτικὴν ἀρετήν·*

Τρέψας δὲ πώλους ὡς ὁ Μαντινεὺς Σῆμος.

Ergo versus hic iambicus in Theseide quadam legebatur. In altero autem Scholio hoc sequitur: — *ὥς φησι Δίφιλος ὁ τὴν Θησηΐδα ποιήσας ἔν τινι ἰάμβῳ οὕτω· Τρέ-*

ψας δὲ πώλους ὡς ὁ Μ. Σ. Ergo nisi quid altius subest, quod hominem de plebe lateat, hic versus in Diphili Theseide legebatur et Diphili Theseis erat carmen iambicum. Quare sane Hermannum mireris, quod Beckium, qui ex his scholiis hoc idem concluserat, ea negligentius inspexisse ait (ad Aristot. Poet. p. 119.). Verum ad propositum revertamur, ut videamus num Theseis aliqua cyclica fuerit. Salmasius hoc affirmat (in Solin. p. 595. b.) Heyniusque eum sequitur (v. Excurs. I. ad Aen. II. p. 354). Ego iis eo libentius accedo, quo verisimilius est, Scholium ad Iliad. γ. 242. quo Thesei raptum Helenae et Aphidnae excidium a cyclicis poetis narratum esse commemoratur, e Theseide cyclica haustum esse. Quum enim in carmine Cyprio ea exposita non esse certum sit, commodiorem locum, quo eam historiam referam, non habeo. Quamobrem mihi non displicet Theseidem ab Aristotele laudatam pro cyclica habere.

14. Ἀ μ α ζ ο ν ί ς.

Fuit carmen huius nominis valde antiquum eiusque Homerus auctor dicitur (v. Suidas s. v. Ὅμηρος). Parum lectum illud esse et mature deperditum, ex eo colligo, quod neminem vidi, qui id commemoret. Quare argumentum eius quid fuerit, nonnisi coniecturis assequi licet. Suspicor igitur pugnas variornm heroum cum Amazonibus eo inprimis esse celebratas, ideoque Bellerophontis, Herculis, Thesei fabulas et fortasse Argonautarum historiam. Certe enim recentiores poetae, quos in universum antiquum illud carmen secutos esse verisimile est, ea in Amazonicis suis exposuerunt. Onasum ἐν τῷ ά τῶν Ἀμαζονικῶν Scholiasta Apollonii Rh.)ad. I. 1209. 1236.) laudat eoque carmine Argonautica narrata esse videntur. Quamquam fatum Hylae Her-

culis fabulis intertextum esse potuit Argonautarum ne mentione quidem facta. Possis Magnesius ἐν τρίτῳ Ἀμαζονίδος de Argonautis scripsit (cf. Athen. VII. 12. p. 296 D.). Verus index horum carminum est Ἀμαζονικά, Ἀμαζόνια vel Ἀμαζονίς. Quare apud Schol. Apollonii (I. 1209.) pro ἐν ά Ἀμαζονίδων scribendum est ἐν ά Ἀμαζονικῶν (ut I. 1236.) vel quod minus probatur, Ἀμαζονίδος.

15. *Εὐρώπια.*

Complura carmina sic inscripta quondam exstitisse nemo ignorat. Europiae Stesichoreae fragmentum adhuc superest (v. Heyn. Excurs. ad Aen. l. c.), quod res Boeoticas attingit. Apollonii Scholiasta (ad IV. 57.) Nicandrum περὶ τοῦ τῆς Σελήνης ἔρωτος ἐν δευτέρῳ Εὐρώπης laudat. Verum haec obiter. Nos enim de Eumeli Europia, antiqua admodum et clara (v. Euseb. Chron. ad Ol. III. Schol. ad Il. ζ. 130.), cuius auctorem Pausanias (XI. 5. 4.) et Clemens Alexandrinus (Strom l. I. p. 181. ed. Sylb. 1592.) incertum relinquunt, pauca dicamus oportet. Hoc autem carmen cyclicum fabulas Europae, Agenoris filiae, et quae cum his cohaerent, Thebarum initia exposuisse videtur. Prius illud (nam testimonium proferre non possum) ex indice colligo. Thebarum autem initia in eo exposita fuisse, e Pausania (l. c.) et Scholiasta Homeri (l. c.) discitur: ille Amphionis fabulam in eo lectam esse dicit, hic ex eo Bacchi historiam et Lycurgi Bacchum male excipientis triste fatum breviter enarrat. Clemens Alexandrinus (l. c.) duo versus ex eo servavit; e quibus, licet ii ad Apollinem Delphicum spectent, falso τὸ ἄγαλμα Ἀπόλλωνος κίονα quondam fuisse colligit. Quare autem Scaliger (ad Euseb. Chron. animadv. p. 72.) hos apud Clementem versus ad res

Argivas, non Sicyonias, spectare dicat, nescire me confiteor. Videtur ille lapsu memoriae in Phoronidis versus aberrasse, qui eodem loco leguntur ad Iunonemque Argivam pertinent. Salmasii (in Sol. p. 603.) suspicionem falsam et temerariam, num forte eandem Europiam alii Nicandro, Eumelo alii adscripserint, commemoratu vix dignam esse puto. Carmen nostrum aeque recte *Εὐρώπια*, quam *Εὐρώπεια* inscribitur: quod cum Scaligero contra Salmasium dico (cf. Heynii Obss. ad Apollod. III. 1. p. 211.). Quare autem Scaliger et Salmasius etiam *Εὐρώπη* iustum indicem esse dicant, nescio; Pausaniae enim verba *τὰ ἔπη τὰ εἰς Εὐρώπην* potius in contrariam sententiam conspirant. Atque index carminis Nicandri illi opinioni nihil suffragatur.

16. *Οἰδιποδία.**

Hoc carmen fabulas Thebaicas inde ab Oedipi primis temporibus ad extremum usque eius fatum (v. Apollod. III. 5. etss.) produxit. In eo igitur semina prima tragoediarum celebratissimarum fuerunt. Si tamen Pausaniae credere licet, magna cum simplicitate in Oedipodia fabulae illae tractatae erant: nullam enim in ea Oedipi, qui e matre liberos procrearit, mentionem fieri dicit (IX. 5. 5.). Scholiasta Euripidis (ad Phoen. 1748.) Oedipodiam incerti auctoris laudat dicens: *οἱ τὴν Οἰδιποδίαν γράφοντες κ. τ. λ.* Pluralis *οἱ γράφοντες* nihil aliud, quam singularis, hic significat (cf. Schol. ad Apoll. Rh. 308.). Sed miro modo Praesens pro Praeterito usurpatum est (ut Schol. ad Pind. Isthm. IV. 58. et al.). Num fortasse homines isti haec forma pro Aoristo secundo (*γραφών*) ut habeatur voluerunt? Scholiasta illo loco duo versus de Sphinge servavit, qui utrum ex Oedipodia an ex He-

raclea Pisandri desumti sint, Valckenarius dubitat. Si ego locum recte intelligo, ad neutrum carmen ii pertinent. In fragmento tabulae marmoreae, quod Heerenius illustravit (Bibl. vett. litt. et artt. fasc. IV. p. 57.), Cinaethonis Oedipodia laudatur, quae quum alio loco nullo commemoretur, eàdem atque illa, cuius auctor incertus dicitur, esse mihi videtur. In cyclo Oedipodiam viri docti unanimi censensu ponunt idque magna cum probabilitate (cf. Valcken. ad Phoen. l. c. Heeren. l. c. et al.).

17. Θηβαΐς.

Inter omnes Thebaides, quae olim fuerunt (cf. Antimachi Reliq. ed. Schellenberg. p. 24. ets.), duae potissimum clarae sunt, Antimachea et cyclica. Haec enim diversa carmina esse, nunc constat (v. Salmas. in Solin. p. 598. Valcken. ad Phoen. p. 25. Schellenb. p. 22.). Ex cyclica Thebaide decem versus, qui Oedipi diras in filios continent, apud Athenaeum (XI. 3. p. 465.) leguntur: *Ὁ δὲ Οἰδίπους δι' ἐκπώματα τοῖς υἱοῖς κατηράσατο, ὡς ὁ τὴν κυκλικὴν Θηβαΐδα πεποιηκώς φησιν, ὅτι αὐτῷ παρέθηκεν ἔκπωμα ὃ ἀπηγορεύκει, λέγων οὕτως.*

Αὐτὰρ ὁ διογενὴς ἥρως, ξανθὸς Πολυνείκης,
πρῶτα μὲν Οἰδίποδι καλὴν παρέθηκε τράπεζαν
ἀργυρέην Κάδμοιο θεόφρονος· αὐτὰρ ἔπειτα
χρύσεον ἔμπλησεν καλὸν δέπας ἡδέος οἴνου.
αὐτὰρ ὅγ' ὡς φράσθη παρακείμενα πατρὸς ἑοῖο
τιμήεντα γέρα, μέγα οἱ κακὸν ἔμπεσε θυμῷ.
αἶψα δὲ παισὶν ἑοῖσι μετ' ἀμφοτέροισιν ἐπαρὰς
ἀργαλέας ἠρᾶτο· θεὸν δ' οὐ λάνθαν' Ἐριννύν.
ὡς οὔ οἱ τὰ πατρῷά γ' ἐνὶ φιλότητι δάσαιντο,
εἶεν δ' ἀμφοτέροισιν ἀεὶ πόλεμοί τε μάχαι τε.

Hos versus ita fere adscripsi, ut ad calcem Odysseae Wolfianae leguntur. Nam etiam in novissima Athenaei editione quaedam vitio laborare et neglecta esse mihi videntur. In versu septimo enim ἐπ' ἀρὰς displicet, quamquam ea lectio iudicio Valckenarii satisfecit. Idem hic vir litterarum Graecarum peritissimus in versu sequente ἐριννύς pro Ἐριννύν scripsit, ut sit nomen appellativum: cui quum accedere non possim, valde mihi gratum est, quod adversus tantam viri auctoritatem praeter alios etiam Hermannus mecum facit. Is enim in nuperrima editione Oedipi Colonei (ad vs. 1377.) totum hunc locum pertractat passimque emendavit. Legit autem in versu secundo Οἰδιπόδῃ, ut videtur, metri causa: quod necessarium esse non puto. In versu septimo recte ἐπαρὰς habet. Multum vero in versibus duobus ultimis novavit; quos, quum ii propter corruptelas suas facilius coniecturas admittant, ex ingeniosa eius emendatione hic adscribere placet.

ὡς οὔ οἱ πατρῶϊ' ἐνηείῃ φιλότητος
δάσσαιντ', ἀμφοτέροισι δ' ἔοι πόλεμοί τε μάχαι τε.

Quamquam haec lectio ingeniosior, quam verior, mihi videtur. Ceterum Valckenarium, qui contra Athenaei auctoritatem hoc fragmentum Antimacho adscripsit idque eo loco, ubi utrumque carmen optime distinxit, Schellenbergius merito notat (v. Antimachi Reliq. l. c.). Quatuor alii versus, qui et ipsi ad Oedipi diras in filios pertinent, apud Scholiastam Sophoclis leguntur (ad Oedip. Col. v. 1375. ed. Brunck. cf. Schütz. Comm. in Sept. adv. Theb. p. 341.). Versus hi sunt:

Ἰσχίον ὡς ἐνόησε, χαμαὶ βάλεν εἶπέ τε μῦθον·
ὤ μοι ἐγώ, παῖδές μοι ὀνειδείοντες ἔπεμψαν.
εὔκτο Διῒ βασιλῆϊ καὶ ἄλλοις ἀθανάτοισιν,
χερσὶν ὑπ' ἀλλήλων καταβήμεναι Ἄϊδος εἴσω.

In versu secundo pro *ὀνειδείοντες* scribendum esse *ὀνείδειον τόδ'* Buttmannus haud male coniecit (v. Herm. l. c.). „Si recte, inquit Hermannus, scribendum in sequente versu *εὔχθω Διὶ βασιλῆϊ.*“ Sed longe praeferenda mihi videtur vulgata lectio, ut Oedipus unum tantummodo versum pronuntiet. Hermanni emendationem a simplicitate dictionis epicae abhorrere dixerim. His duobus tantum locis, quantum ego scio, epitheton *κυκλική* legitur (non enim curo, quod Brunckius in Schol. Soph. *μικρά* pro *κυκλική* habet). Verum saepenumero hoc carmen, quamquam non addito *κυκλική*, veteres scriptores volunt intelligi. Omnes enim locos, quibus Thebais incerti auctoris excitatur, nos necessario ad cyclicam Thebaidem (quum de nulla alia incerti auctoris quidquam traditum sit) referre debemus; nisi forte rationes singulares, quae repugnent, proferantur. Sic non dixerim Michaelem Apostolium (XVIII. 42.) cyclicam Thebaidem significare. Verum pertinent ad eam Apollodori verba: *Περίβοιαν τὴν Ἱππονόου ὁ γράψας τὴν Θηβαΐδα πολεμηθείσης Ὠλένου λέγει λαβεῖν Οἰνέα γέρας* (Bibl. I. 8. 4.). Eandem Pausanias (IX. 18. 4.) laudat. *Τὰ ἐν (τῇ) Θηβαΐδι ἔπη τὰ ἐς τὴν Παρθενοπαίου τελευτὴν Περικλύμενον τὸν ἀνελόντα φασὶν εἶναι.* In interfectore Parthenopaei Euripides (Phoen. 1164.) cyclicam Thebaidem sequitur. Ceterum etiam hunc locum Valckenarius Antimacho sine omni ratione tribuit (ad Phoen. p. 400. cf. Schellenb. p. 89.). Porro idem Pausanias, quum de Arione, Neptuni prole, loquitur (VIII. 25. 5.), haec profert: *Ἐν τῇ Θηβαΐδι (λέγεται), ὡς Ἄδραστος ἔφευγεν ἐκ Θηβῶν·*

Εἵματα λυγρὰ φέρων σὺν Ἀρίονι κυανοχαίτῃ·

αἰνίσσεσθαι οὖν ἐθέλουσι (Thelpusii) *τὰ ἔπη Ποσειδῶνα εἶναι πατέρα Ἀρίονι.* Quem versum cum Nicolao Loensi (Epiphyll. II. 6.) nemo, qui Pausaniam attente inspe-

xerit, Antimacho attribuet. Quare cur illum e cyclica Thebaide desumtum esse cum viris doctissimis (Valcken. l. c. p. 659. Wolf. l. c. et al.) non statuamus, causa nulla est, nisi ea in comparatione nostri loci cum Scholiasta Homeri (ad Il. ψ. 346.) latet. Hoc enim Scholium totam Arionis historiam plane e Thelpusiorum sententia narrat eamque παρὰ τοῖς κυκλικοῖς legi tradit. Quod quin e Thebaide cyclica haustum sit, nullum dubium est propter verba eius postrema, quae ad Adrastum, qui solus e bello eripitur, spectant. Quid igitur est, quod Thelpusii, quos e Thebaide versum nihil probantem Pausanias proferre recte dicit, ad comprobandam suam de Arione fabulam non eosdem versus, e quibus Scholiasta Homeri sua hausit, protulerint? Hanc difficultatem evanescere sic puto, ut Pausanias aut primum tantum (ut fieri solet) omnium versuum, qui fabulam illam continebant, recitatum audierit, aut ab ignaris rei edoctus fuerit. Primum versum Thebaidis cyclicae in Certamine Hesiodi et Homeri (v. Hom. Iliad. ed. Barnes. p. XXVII.) legimus. *Ὁ δὲ Ὅμηρος ἀποτυχὼν τῆς νίκης περιερχόμενος ἔλεγε τὰ ποιήματα· πρῶτον μὲν τὴν Θηβαΐδα ἔπη ἑπτά, ἧς ἡ ἀρχή.*

Ἄργος ἄειδε, θεά, πολυδίψιον, ἔνθεν ἄνακτες —

Περιερχόμενος aperte interpretamentum verbi *κυκλική* est (v. supra.). Ex hoc loco discimus, cyclicam Thebaidem septem libris constitisse et non male *μικρὰν* dici potuisse, ut Brunckius in Schol. Sophocl. (l. c.) pro *κυκλική* habet. Atque Heerenius (in Bibl. vett. litt. et artt. fasc. IV. p. 60.) non inepte coniecerit, cyclicam esse Thebaidem, quae in fragmento tabulae marmoreae laudatur quaeque versus 5600 comprehendisse dicitur. Ex iis autem, quae dicta sunt, totius carminis descriptio fuisse haec fere videtur. Primum,

ut par est, invocatio Musae; tum Oedipi dirae in filios indeque bellum fraternum (v. Athen. l. c. Schol. Soph. l. c.); deinde recensio ducum et heroum, qui utrimque pugnatum eunt, eorumque generis celebratio et virtutis (v. Apollod. l. c.); porro descriptio pugnarum, quique utrimque caesi sint (v. Paus. IX. 18, 4); postremo narratum est, neminem Argivorum nisi Adrastum Arionis ope servatum esse (Paus. VIII. 25, 5; Schol. ad Iliad. ψ. 346.). Auctorem huius carminis plerique incertum habent (v. ll. cc.); scriptor vero Certaminis et Tzetzes (v. Bentl. Ep. ad Mill. p. 505.) et fortasse etiam Pausanias (IX. 9, 3,) Homero illud adscribunt. v. carm. seq.

18. Ἐπίγονοι.

Hoc carmen, quod Thebaidem excepit Epigonorumque bellum comprehendit, raro veteres, quot scio, commemorant. Primus scriptorum, qui adhuc supersunt, Herodotus mentionem eius facit (IV. 32.). *Ἔστι δὲ καὶ Ὁμήρῳ (περὶ Ὑπερβορέων εἰρημένα) ἐν Ἐπιγόνοισι, εἰ δὴ τῷ ἐόντι γε Ὅμηρος ταῦτα τὰ ἔπεα ἐποίησε.* Quem locum Bentleius cum ceteris viris doctis (Ep. ad Mill. p. 504.) laudat nihil suspicans, num forte spurius ille sit et interpolatus; Wolfius vero (Proleg. ad Hom. p. 157. not.) se sibi interdum visum esse ait in his verbis annotationem legere veteris Grammatici, non Herodoti. Uter criticorum principum verum hac in re viderit, mei ingenii non est diiudicare. Sed ego tamen vulgarem sententiam sequi hic debeo: neque multum mea refert, utrum verum sit. Videmus igitur etiam hoc carmen Homero adscribi solitum esse, quod num recte fiat, Herodotus dubitat. Sic etiam Tzetzes Homerum eius auctorem facit (Chil.

XIII. 658.), et scriptor Certaminis Hesiodi et Homeri in loco hic maxime memorabili.

Ὅμηρος ἀποτυχὼν τῆς νίκης περιερχόμενος ἔλεγε τὰ ποιήματα, πρῶτον μὲν τὴν Θηβαΐδα, ἔπη ἑπτά, ἧς ἡ ἀρχή.

Ἄργος ἄειδε, θεά, πολυδίψιον, ἔνθεν ἄνακτες —

εἶτα Ἐπιγόνους, ἔπη ἑπτά, ὧν ἀρχή.

Νῦν αὖθ' ὁπλοτέρων ἀνδρῶν ἀρχώμεθα, Μοῦσαι·

φασὶ γάρ τινες καὶ ταῦτα Ὁμήρου εἶναι.

Primus igitur Epigonorum versus ad antecedentia referri debet. Quare Thebaidem et Epigonos ego puto unum carmen fuisse (Thebaidem cyclicam) in duas partes divisum, quarum prior prioris belli Thebaici historiam septem libris, altera Epigonorum pugnas libris totidem exposuerit (cf. Schellenb. l. c. p. 90.). Quam sententiam Scholiasta Apollonii Rh. (ad I. 308.) egregie confirmat dicens: *Οἱ τὴν Θηβαΐδα συγγράψαντές φασιν, ὅτι ὑπὸ τῶν Ἐπιγόνων ἀκροθίνιον ἀνετέθη Μαντὼ ἡ Τειρεσίου θυγάτηρ εἰς Δελφοὺς πεμφθεῖσα.* Atque eodem Pausaniae verba valent, qui postquam bellum Thebaicum breviter enarravit, ita pergit: *Ἐποιήθη δὲ ἐς τὸν πόλεμον τοῦτον καὶ ἔπη Θηβαίοις*[1]*· τὰ δὲ ἔπη ταῦτα Καλλαῖνος*[2] *ἀφικόμενος αὐτῶν ἐς μνήμην, ἔφησεν Ὅμηρον τὸν ποιήσαντα εἶναι. Καλλαίνῳ δὲ πολλοί τε καὶ ἄξιοι λόγου κατὰ ταὐτὰ ἔγνωσαν. ἐγὼ δὲ τὴν ποίησιν ταύτην μετά γε Ἰλιάδα καὶ τὰ ἔπη τὰ ἐς Ὀδυσσέα ἐπαινῶ μάλιστα* (l. IX. 9, 3.). Verba *ἐς τὸν πόλεμον τοῦτον* ad

---

1) Hemesterhusius probante Ruhnkenio *Θηβαΐς* non male legit (v. Schellenberg. l. c. p. 24.). Nam talis Dativus, qualis *Θηβαίοις*, quo quidem nihil Pausaniae solennius est, hic paulo ineptior videtur: vide tamen Paus. X. 5, 4.

2) Alii *Καλλῖνος*, Ruhhkenius *Καλλίμαχος*, (v. Schellenb. l. c.); sed quid verum sit, diiudicari nequit.

utrumque bellum Thebaicum pertinent, itaque etiam carmen utrumque bellum comprehendit. Si autem haec probabiliter dicta sunt, inde Wolfii suspicioni haud leve argumentum accedit: vix enim credere licet Herodoti aetate in duas partes hoc carmen iam disiunctum fuisse. Postremo loco monendum est, Boeckhium optime coniicere vel potius magna cum probabilitate ostendere, duo versus, quos Athenaeus (l. VII. p. 317. c.) servat, e Thebaide cyclica sumtos esse; quia hoc carmine Pindarus in Amphiarai rebus usus esse dicitur (v. Boekh. Pind. Tom. II. Part. II. p. 650.).

19. Ἀργοναυτικά.**

Argonautica Salmasius (in Solin. p. 595. b.) in cyclo ponit eumque Heynius sequitur (Exc. I. ad Aen. II. p. 354.). Quin etiam plura huius argumenti carmina cyclica ille facit (Comm. de Apollod. Bibl. p. XXXI.). Sed neuter eorum hanc opinionem ullo modo comprobare studuit, neque ego, unde confirmari ea possit, quidquam habeo. Atque ne carmen quidem ullum, quod cyclicis annumerari possit, reperire potui. Quamvis enim multa variorum scriptorum Argonautica a Scholiastis passim laudentur; vix tamen ullum carmen huius argumenti et indicis invenietur, quod ante Grammaticorum Alexandrinorum aetatem conscriptum sit. Epimenidis enim Argonautica, etiamsi spuria et supposititia non iudicarentur (v. Heinrich. Epimenid. p. 133. ets.), ne sic quidem cyclica esse dicerem. Et quam parum haec historia materiam ad epos integrum aptam praebeat, Apollonii Argonautica docent: quare puto eam nonnisi episodiis in cyclo tractatam esse.

Nunc ad carmina pervenimus, quae res Troicas comprehenderunt quaeque cyclum Troianum a cyclo

epico diversum vulgo putantur constituisse: quam opinionem falsam esse supra vidimus. Argumenta autem horum carminum et fragmenta hinc inde dispersa singulari operae debemus, quam omni tempore Scholiastae et Grammatici non minus, quam poetae et mythographi in rebus Troicis collocarunt: hi quidem, quia plurimum actionis et περιπετείας in iis inest; illi autem, ut fabulas Homericas et tragicas inde explicarent. Carmina enim ipsa praeter Iliadem et Odysseam, quas integras sua virtus et fausta fortuna humano generi servavit, in communi litterarum naufragio omnia interierunt. Quare ne mireris, quod reliquis cyclicorum carminum argumentis deperditis haec pauca tantum Grammaticus nescio quis, parum diligenter et accurate, e Proclo excerpserit. Nam integra ea non esse et pura (qualia Proclus confecerat); sed excerpta et nonnunquam interpolata, et alii viderunt (v. Heyn. ad Procl. fragm. in Bibl. vett. litt. et artt. fasc. I. Ined. p. 17. Tychsen. Comm. de Quint. Smyrn. p. 77.), et nos in iis, quae sequuntur, identidem annotabimus. Possunt tamen illa perfectiora reddi atque ex fragmentis veterumque scriptorum testimoniis quodammodo restitui: quem laborem, si huius libelli molem non nimis augeret, pro viribus meis perficere conarer. Sed hanc ob causam singulas tantum annotationes, breviores, longiores, prout res et ingenium feret, ad sequentia adscribam.

Quoniam autem quaecunque de his poematis dicenda sunt, ad argumenta eorum fere omnia referri debent, ea hic adscribi oportet: et quo facilius annotationes ad suum quaeque locum possint transferri, illa in particulas, quas fere singulae rhapsodiae probabiliter complexae sint, placet distribuere. Quae autem de ipsis argumentis necessario dicenda esse mihi

videntur, ea in Biblioth. vett. litt. et artt. fasc. I. Incd. inveniuntur. cf. Tzetzae Homer. ed. Im. Bekker.

20. Τὰ Κύπρια.

Ἐπιβάλλει (Πρόκλος) τούτοις τὰ λεγόμενα Κύπρια ἐν βιβλίοις φερόμενα ἕνδεκα, ὧν περὶ τῆς γραφῆς ὕστερον ἐροῦμεν, ἵνα μὴ τὸν ἑξῆς λόγον νῦν ἐμποδίζωμεν. τὰ δὲ περιέχοντά (l. περιεχόμενά Bekker) ἐστι ταῦτα·

α.

Ζεὺς βουλεύεται μετὰ τῆς Θέμιδος περὶ τοῦ Τρωϊκοῦ πολέμου. παραγενομένη δὲ Ἔρις εὐωχουμένων τῶν θεῶν ἐν τοῖς Πηλέως γάμοις νεῖκος περὶ κάλλους ἐνίστησιν Ἀθηνᾷ, Ἥρᾳ καὶ Ἀφροδίτῃ, αἳ πρὸς Ἀλέξανδρον ἐν Ἴδῃ κατὰ Διὸς προσταγὴν ὑφ' Ἑρμοῦ πρὸς τὴν κρίσιν ἄγονται. καὶ προκρίνει τὴν Ἀφροδίτην ἐπαρθεὶς τοῖς Ἑλένης γάμοις ὁ Ἀλέξανδρος. ἔπειτα δὲ Ἀφροδίτης ὑποθεμένης ναυπηγεῖται. καὶ Ἕλενος περὶ τῶν μελλόντων αὐτῷ προθεσπίζει. καὶ ἡ Ἀφροδίτη Αἰνείαν συμπλεῖν αὐτῷ κελεύει. καὶ Κασσάνδρα περὶ τῶν μελλόντων προδηλοῖ.

β.

Ἐπιβὰς δὲ τῇ Λακεδαιμονίᾳ Ἀλέξανδρος ξενίζεται παρὰ τοῖς Τυνδαρίδαις καὶ μετὰ ταῦτα ἐν τῇ Σπάρτῃ παρὰ Μενελάῳ. καὶ Ἑλένῃ παρὰ τὴν εὐωχίαν δίδωσι δῶρα ὁ Ἀλέξανδρος. καὶ μετὰ ταῦτα Μενέλαος εἰς Κρήτην ἐκπλεῖ κελεύσας τὴν Ἑλένην τοῖς ξένοις τὰ ἐπιτήδεια παρέχειν, ἕως ἂν απαλλαγῶσιν. ἐν τούτῳ δὲ Ἀφροδίτη συνάγει τὴν Ἑλένην τῷ Ἀλεξάνδρῳ. καὶ μετὰ τὴν μίξιν τὰ πλεῖστα κτήματα ἐνθέμενοι νυκτὸς ἀποπλέουσι. [Χειμῶνα δὲ αὐτοῖς ἐφίστησιν Ἥρα. καὶ προσενεχθεὶς Σιδῶνι ὁ Ἀλέξανδρος αἱρεῖ τὴν πόλιν.] καὶ ἀποπλεύσας εἰς Ἴλιον γάμους τῆς Ἑλένης ἐπετέλεσεν.

γ.

Ἐν τούτῳ δὲ Κάστωρ μετὰ Πολυδεύκους τὰς Ἴδα καὶ Λυγκέως βοῦς ὑφαιρούμενοι ἐφωράθησαν. καὶ Κάστωρ μὲν ὑπὸ τοῦ Ἴδα ἀναιρεῖται, Λυγκεὺς δὲ καὶ Ἴδας ὑπὸ Πολυδεύκους· καὶ Ζεὺς αὐτοῖς ἑτερήμερον νέμει τὴν ἀθανασίαν. καὶ μετὰ ταῦτα Ἶρις ἀναγγέλλει τῷ Μενελάῳ τὰ γεγονότα κατὰ τὸν οἶκον.

δ.

Ὁ δὲ παραγενόμενος περὶ τῆς ἐπ' Ἴλιον στρατείας βουλεύεται μετὰ τοῦ ἀδελφοῦ. καὶ πρὸς Νέστορα παραγίνεται Μενέλαος. Νέστωρ δὲ ἐν παρεκβάσει διηγεῖται αὐτῷ, ὡς Ἐπωπεὺς φθείρας τὴν Λύκου θυγατέρα ἐξεπορθήθη, καὶ τὰ περὶ Οἰδίπουν καὶ τὴν Ἡρακλέους μανίαν καὶ τὰ περὶ Θησέα καὶ Ἀριάδνην. ἔπειτα τοὺς ἡγεμόνας ἀθροίζουσιν ἐπελθόντες τὴν Ἑλλάδα. καὶ μαίνεσθαι προςποιησάμενον τὸν Ὀδυσσέα ἐπὶ τῷ μὴ θέλειν στρατεύεσθαι ἐφώρασαν Παλαμήδους ὑποθεμένου τὸν υἱὸν Τηλέμαχον ἐπὶ κόλασιν ἐξαρπάσαντες.

ε.

Καὶ μετὰ ταῦτα συνελθόντες εἰς Αὐλίδα θύουσι· καὶ τὰ περὶ τὸν δράκοντα καὶ τοὺς στρουθοὺς γενόμενα δείκνυται, καὶ Κάλχας περὶ τῶν ἀποβησομένων προλέγει αὐτοῖς. ἔπειτα ἀναχθέντες Τευθρανίᾳ προσίσχουσι καὶ ταύτην ὡς Ἴλιον ἐπόρθουν. Τήλεφος δὲ ἐκ βοηθείας Θέρσανδρόν τε τὸν Πολυνείκους κτείνει καὶ αὐτὸς ὑπὸ Ἀχιλλέως τιτρώσκεται.

ζ.

Ἀποπλέουσι δὲ αὐτοῖς ἐκ τῆς Μυσίας χειμὼν ἐπιπίπτει καὶ διασκεδάννυνται. Ἀχιλλεὺς δὲ Σκύρῳ προςσχὼν γαμεῖ τὴν Λυκομήδους θυγατέρα Δηϊδάμειαν. ἔπειτα Τή-

λεφον κατὰ μαντείαν παραγενόμενον εἰς Ἄργος ἰᾶται Ἀχιλλεὺς ὡς ἡγεμόνα γενησόμενον τοῦ ἐπ' Ἴλιον πλοῦ.

η.

Καὶ τὸ δεύτερον ἠθροισμένου τοῦ στόλου ἐν Αὐλίδι Ἀγαμέμνων ἐπὶ θήρας βαλὼν ἔλαφον ὑπερβάλλειν ἔφησε καὶ τὴν Ἄρτεμιν. μηνίσασα δὲ ἡ θεὸς ἐπέσχεν αὐτοὺς τοῦ πλοῦ χειμῶνας ἐπιπέμπουσα. Κάλχαντος δὲ εἰπόντος τὴν τῆς θεοῦ μῆνιν καὶ Ἰφιγένειαν κελεύσαντος θύειν τῇ Ἀρτέμιδι, ὡς ἐπὶ γάμον αὐτὴν Ἀχιλλεῖ μεταπεμψάμενοι θύειν ἐπιχειροῦσιν. Ἄρτεμις δὲ αὐτὴν ἐξαρπάξασα εἰς Ταύρους μετακομίζει καὶ ἀθάνατον ποιεῖ, ἔλαφον δὲ ἀντὶ τῆς κόρης παρίστησι τῷ βωμῷ.

θ.

Ἔπειτα καταπλέουσιν εἰς Τένεδον. καὶ εὐωχουμένων αὐτῶν Φιλοκτήτης ὑφ' ὕδρου πληγεὶς διὰ τὴν δυσοσμίαν ἐν Λήμνῳ κατελείφθη. καὶ Ἀχιλλεὺς ὕστερον κληθεὶς διαφέρεται πρὸς Ἀγαμέμνονα. ἔπειτα ἀποβαίνοντας αὐτοὺς εἰς Ἴλιον εἴργουσιν οἱ Τρῶες, καὶ θνήσκει Πρωτεσίλαος ὑφ' Ἕκτορος. ἔπειτα Ἀχιλλεὺς αὐτοὺς τρέπεται ἀνελὼν Κύκνον τὸν Ποσειδῶνος.

ι.

Καὶ τοὺς νεκροὺς ἀναιροῦνται, καὶ διαπρεσβεύονται πρὸς τοὺς Τρῶας τὴν Ἑλένην καὶ τὰ κτήματα ἀπαιτοῦντες. ὡς δὲ οὐχ ὑπήκουσαν ἐκεῖνοι, ἐνταῦθα δὴ τειχομαχοῦσιν. ἔπειτα τὴν χώραν ἐπεξελθόντες πορθοῦσι καὶ τὰς περιοίκους πόλεις.

κ.

Καὶ μετὰ ταῦτα Ἀχιλλεὺς Ἑλένην ἐπιθυμεῖ θεάσασθαι, καὶ συνήγαγεν αὐτοὺς εἰς τὸ αὐτὸ Ἀφροδίτη καὶ Θέτις. εἶτα ἀπονοστεῖν ὡρμημένους τοὺς Ἀχαιοὺς Ἀχιλ-

λεὺς κατέχει. κἄπειτα ἀπελαύνει τὰς Αἰνείου βόας, καὶ Λυρνησὸν καὶ Πήδασον πορθεῖ καὶ συχνὰς τῶν περιοικίδων πόλεων, καὶ Τρώϊλον φονεύει.

λ.

Λυκάονά τε Πάτροκλος εἰς Λῆμνον ἀγαγὼν ἀπεμπολᾷ καὶ ἐκ τῶν λαφύρων Ἀχιλλεὺς μὲν Βρισηΐδα γέρας λαμβάνει, Χρυσηΐδα δὲ Ἀγαμέμνων. ἔπειτα ἐστι Παλαμήδους θάνατος καὶ Διὸς βουλή, ὅπως ἐπικουφίσει τοὺς Τρῶας Ἀχιλλέα τῆς συμμαχίας τῆς Ἑλληνικῆς ἀποστήσας, καὶ κατάλογος τῶν τοῖς Τρωσὶ συμμαχησάντων.

Annotationes.

ad α.

Carmen igitur a Iovis consilio, quod cum Themide (Γῇ) de bello Troiano habuerat, initium cepit. Huc pertinet fragmentum illud, quod apud Scholiastam Homeri (ad Il. α. 5.) legitur quodque communem causam, cur bella, hominum pestis et exitium, necessaria sint, poetico modo et ad bellum Troianum accommodato exponit.

Ἦν ὅτε μυρία φῦλα κατὰ χθόνα πλαζόμεν' ἀνδρῶν
βαθυστέρνου πλάτος αἴης.
Ζεὺς δὲ ἰδὼν ἐλέησε καὶ ἐν πυκιναῖς πραπίδεσσιν
σύνθετο κουφίσαι ἀνδρῶν παμβώτορα γαῖαν
ῥιπίσσας πολέμου μεγάλην ἔριν Ἰλιακοῖο,
ὄφρα κενώσειεν θανάτῳ βάρος· οἱ δ' ἐνὶ Τροίῃ
ἥρωες κτείνοντο· Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή.

In primo versu ἀνδρῶν vulgo deest, supplementum Wolfii esse puto (v. ad Calc. Odyss.). Lacunam versus primi et secundi Barnesius (v. ed. Iliad. p. 2.) explere conatus est. Sed, ut mihi videtur, non satis feliciter. Atque sunt sane eiusmodi supplementa coniecturalia

sive integrorum versuum sive complurium vocabulorum ad restituendam lectionem antiquam plane inutilia, quia vera ea esse nemo unquam potest probare. Eandem, quam hi versus continent, historiam Euripides bis attigit (v. Orest. 1636. ibiq. Schol. Helen. 36. ed. Matth.). Duos hos locos, cum ipso Scholio Homerico coniunctos, ad argumentum versuum explanandum sufficere puto.

Quomodo Dii nuptias Pelei et Thetidis celebrarint quaeque dona novis coniugibus dederint, e carmine Cyprio Scholium ad Iliad. π. 140. paulo copiosius narrat.

In ipsis nuptiis autem quum certamen pulcritudinis Eris malo iniecto Deabus principibus excitasset, Mercurius eas iussu Iovis ad Paridem ducit, qui iudicium sibi periculi plenissimum ferret. Atque ad unam Dearum, vel si mavis ad formosam aliquam convivarum nuptialium, haud dubie ille versus refertur, quem e Naevii Cypriae Iliadis libro primo Charisius servat (ap. Putsch. p. 118.):

Collum marmoreum torquis gemmata coronat.

Naevius autem carmen Cyprium Latine interpretatus est (v. Wernsdorf Poet. min. Tom. IV. p. 572.). Dixi Naevium, ut vulgaris opinio est; ex Hermanni vero sententia aliorumque longe doctissimorum Laevius ille interpres fuit (v. Element. Doctr. Metr. p. 333.). Quod haud scio an verum sit.

Ad partus et genus Helenae, quod libro primo celebratum est, duodecim versus ab Athenaeo servati (l. VIII. 3. p. 334. b) pertinent.

Τοῖς δὲ μετὰ τριτάτην Ἑλένην τέκε, θαῦμα βροτοῖσιν·
τήν ποτε καλλίκομος Νέμεσις φιλότητι μιγεῖσα
Ζηνὶ θεῶν βασιλῆϊ τέκεν κρατερῆς ὑπ᾽ ἀνάγκης.
φεῦγε γάρ, οὐδ᾽ ἔθελεν μιχθήμεναι ἐν φιλότητι
πατρὶ Διὶ Κρονίωνι. ἐτείρετο γὰρ φρένας αἰδοῖ.
καὶ Νέμεσις κατὰ γῆν τε καὶ ἀτρύγετον μέλαν ὕδωρ
φεῦγεν, Ζεὺς δ᾽ ἐδίωκε· λαβεῖν δ᾽ ἐλιλαίετο θυμῷ·
ἄλλοτε μὲν κατὰ κῦμα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης
ἰχθύϊ εἰδομένην πόντον πολὺν ἐξορόθυνεν,
ἄλλοτ᾽ ἀν᾽ Ὠκεανὸν ποταμὸν καὶ πείρατα γαίης,
ἄλλοτ᾽ ἀν᾽ ἤπειρον πολυβώλακα. γείνετο δ᾽ αἰεὶ
θηρία ὅσσ᾽ ἤπειρος ἀνατρέφει, ὄφρα φύγοι μιν.

Quomodo primus versus intelligi debeat et cum ceteris cohaereat, explicare difficile est. Fortasse tamen hic, ut apud Homerum, *τίκτειν* significat p r o c r e a r e; aliam explicandi rationem probabilem non habeo. Quod autem versu tertio vulgari significatione usurpatur *τίκτειν*, id sciolos quosdam fortasse offendet, alium neminem. Quod si verum est, initio primi versus videtur fere *τοὺς* pro *τοῖς* legendum esse. In versu sexto pro *Νέμεσις* Schweighaeuserus *ἡ μὲν* optime coniicit: sed coniectura est. Ceterum ex hoc carminis Cyprii loco Apollodorus narrationem suam de Nemese, Helenae matre, probabiliter petivit (v. l. III. 10. 2.).

Ad Nemesin etiam duos hosce versus refero, quos Socrates in Platonis Euthyphrone perstringit (v. Part. I. Vol. I. p. 374. ed. Bekker.):

Ζῆνα δὲ τόν θ᾽ ἔρξαντα καὶ ὃς τάδε πάντ᾽ ἐφύτευσεν,
οὐκ ἐθέλεις εἰπεῖν· ἵνα γαρ δέος, ἔνθα καὶ αἰδώς.

Pro *θ᾽ ἔρξαντα*, quod Bekkerus dedit, vulgo legitur *ῥέξαντα*. Versus autem e Platone descriptos etiam Mich. Apostolius (X. 50.) habet.

Ad *β*.

Unum versum e libro secundo Iliadis Naevii sive Laevii (nam etiam sic pro Cypria Iliade interpretatio illa Latina simpliciter dicitur) Priscianus servat (l. X. p. 881. ed. Putsch.).

Fecundo penetrat penitus thalamoque potitur.

Certa interpretatio huius versus vix proferri potest: videtur tamen fecundo ad thalamo pertinere. Fecundus thalamus est vel conclave nuptiale, ut sit thalamus sensu vulgari, vel id, in quo opes et divitiae reconduntur. Utrum sensum praeferam, dubito; versum autem ad Paridem pertinere, admodum probabile est.

Quae verba uncis inclusimus, ea interpolata sunt et ab eo haud dubie profecta, qui hoc argumentum e Proclo excerpsit: volebat ille saltem argumentum carminis Cyprii cum Homeri poematis congruum facere. Nam Herodoto (l. II. 117.) fidem denegare prorsus non licet. Ex Herodoti verbis tres Cyprii carminis versus Friedemannus exsculpere non male conatus est (v. Comm. in Strab. T. I. p. 336. not.); sed ego tamen iure eos hic praetermitto.

Ad *γ*.

De Dioscurorum pugna cum Apharei filiis fragmentum apud Scholiastam Pindari (ad Nem. X. 114.) legitur.

Αἶψα δὲ Λυγκεὺς
Ταΰγετον προςέβαινε ποσὶν ταχέεσσι πεποιθώς·
ἀκρότατον δ' ἀναβὰς διεδέρκετο νῆσον ἅπασαν
Ταντολίδου Πέλοπος· τάχα δ' εἴςιδε κυδίμος ἥρως
[*Οἷς*] *εἰν ὀφθαλμοῖσιν ἔσω δρυὸς ἄμφω κοίλης*

Κάστορά θ' ἱππόδαμον καὶ ἀεθλοφόρον Πολυδεύκεα.
τίκτε δ' ἄρ' . . .

Quintus versus mutilus est; initio enim deest syllaba producta. Heynii conamen restitutionis nimium audax est (v. ad Pindar. l. c. cf. Boeckhii Pindar. l. c.): multo probabilius Wolfius δεινοῖς ex εἶν exsculpit (v. in fin. Odyss.). Mihi magis placuit addere οἷς. Praeterea ultimum fragmenti versum restituere Heynius bis frustra conatus est (v. ad Pindar. l. c. Obss. ad Apollod. III. 11. 2.). Hanc eandem historiam autem apud Scholiastam Pindari et Apollodorum (l. III. 11. 2.) legimus. Poeta noster boum raptum causam fuisse tradit, cur Dioscuri cum Apharei filiis pugnaverint, contra alii pugnam ob Phoebae et Hilairae raptum exortam esse dicunt. Quare quum in carmine Cyprio locus de Phoeba et Hilaira, ut Pausanias (l. III. 16, 1.) tradit, legeretur; mihi admodum verisimile videtur, Dioscurorum historiam eodem modo et ordine in eo fuisse narratam, quo Apollodorus eam exponit. Neque prorsus haec sententia argumentis historicis caret. Nam Scholiasta Pindari (l. c.) Apollodorum tradit eandem, quam Aristarchum, lectionem in Pindari loco citato praetulisse; Aristarchum autem hanc lectionem praetulisse eum ad finem, ut Pindarum carmini Cyprio consentientem redderet.

Ad Tyndaridas etiam duo versus alii apud Clementem Alexandrinum (Protrept. p. 19. ed. Sylb.) pertinent:

Κάστωρ μὲν θνητός, θανάτου δέ οἱ αἶσα πέπρωται.
αὐτὰρ ὅ γ' ἀθάνατος Πολυδεύκης, ὄζος Ἄρηος.

In primo versu pro δέ fortasse τέ legendum est. Locos veterum de Tyndaridarum historia Heynius fere omnes congessit (v. Obss. ad Apoll. III. 10.).

Ad δ.

Nestor Menelaum advenientem, uti videtur, convivio excipit eumque inter coenam et vinum adhortatur, ut vino curas depellat. Huc cum Heynio mihi duo versus dulcissimi, qui apud Suidam (s. v. οἶνος) et Athenaeum (l. II. 1. p. 35. C.) leguntur, referendi videntur.

Οἶνόν τοι, Μενέλαε, θεοὶ ποίησαν ἄριστον
θνητοῖς ἀνθρώποισιν ἀποσκεδάσαι μελεδῶνας.

Ad ζ.

Heynius quum videret Achillis, qui in Lycomedis gynaeceo latuerit, mentionem nullam in Cyprio carmine fieri, immo fabulam multo simplicius narrari; illud, quod Achilles puellari habitu ibi absconditus cum Deidamia rem habuerit, tragicis poetis deberi putavit; sed videtur Scholium ad Iliad. τ. 338., quo tota fabula vulgari modo e cyclicis narratur, eum fugisse (cf. infra ad Iliad. parv.). Tzetzes in Antehomericis (v. 174 ets.) Cyprium carmen sequitur eosque, ut solet, increpat, qui vulgarem opinionem amplexi sint (cf. Tzetz. ad Lycophr. v. 276.). Nimirum ille grammaticulus et stolidus sui laudator Dictyis, testis oculati, ephemeridas Graecotroicas, puto, oculis suis usurpavit!

Hoc loco etiam ea lecta esse puto, quae Pausanias (X. 26, 1.) de Achillis filii nomine ex carmine Cyprio narrat.

Ad η.

Scholiasta Sophoclis (ad Elect. v. 157. ed. Brunck.) annotat: Ἢ Ὁμήρῳ ἀκολουθεῖ εἰρηκότι (Il. ι. 144.) τρεῖς τὰς θυγατέρας τοῦ Ἀγάμεμνος, ἢ ὡς ὁ τὰ Κύπρια ποιήσας τέσσαράς φησιν. Verum, si talia monere operae

pretium est, Scholiasta non cogitavit, Iphigeniam eo tempore, quo Homerus Agamemnonem loquentem inducit, iam immolatam fuisse. Uno verbo monere licet, hunc locum duarum Euripidis tragoediarum fontem esse.

Ad ϑ.

Historia de Philoctete in vasta insula relicto paulo aliter, quam a Sophocle, hic narrata est; apud eum enim Ulysses se Atridarum iussu illum in Lemno exposuisse ait.

De Protesilai morte et de Polydora, eius uxore, quae in mariti tumulo se interfecerit, e carmine Cyprio locus apud Pausaniam (l. IV. 2, 5. extr.) exstat. Si quis forte feminarum, quae prae maritorum amore mortem sibi consciverint, plura nomina cognoscere cupiat (id quod fieri potest, quoniam earum numerus non ita magnus est atque exemplis ad mulierum animos flectendos nonnunqnam videtur opus esse), is igitur, si placet, Tzetzam adeat, apothecam rerum utilium (v. Antehom. 237. etss. ibiq. Iacobs.). Qui primus hostilem terram invasisset, eius mortem Deum vaticinatum esse, carmen nostrum ignorat. Fontem autem huius historiae in Homeri Iliade (β. 695 ets.) esse multi asserant, nisi forte navium catalogus etiam recentior hoc carmine iis videatur. Verum vehementer falluntur epicorumque carminum fontes haud norunt, si qui putant, quamcunque historiam versiculo aut verbulo Homerus commemorarit, eam recentiores demum poetas ex ingeniis effinxisse et amplificavisse. Id ipsum, quod Homerus fabulam aliquam uno tantum verbo attingit, satis eam notam fuisse ostendit.

De Cycno, Neptuni filio, v. Schol. ad Il. *α*. 39. Tzetz. Antem. 257. ibiq. Iacobs.

Ad *ι*.

Heroes, qui ad Helenam recuperandam Troiam missi sint, Tzetzes (in Anteh. 154 ets.) accuratissime novit: legationem etiam Homerus commemorat (v. Iliad. *γ*. 205. ibiq. Schol.).

Ad *λ*.

Εἵματα μὲν χροίας τότε αἵ Χάριτές τε καὶ Ὧραι
ποίησαν καὶ ἔβαψαν ἐν ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν
οἷα φοροῦσ' ὧραι, ἔν τε κρόκῳ, ἐν θ' ὑακίνθῳ,
ἔν τε ἴῳ θαλέθοντι, ῥόδου τ' ἐνὶ ἄνθεϊ καλῷ,
ἡδέϊ, νεκταρέῳ, ἔν τ' ἀμβροσίαις καλύκεσσιν
ἄνθους ναρκίσσου καλλιρρόου· οἷ' Ἀφροδίτη
ὥραις παντοίαις τεθυωμένα εἵματα ἕστο.

Egregium hoc fragmentum, quod Athenaeus (l. XV. 8. p. 682.) ex undecimo libro carminis Cyprii servat, Heynius in primo libro ponere ad iudiciumque Paridis referre voluit. Quamquam autem saepius *ά* in *ιά* corruptum est (v. Valckenar. ad Phoen. p. 735.), ut haec mutatio vix videri possit; tamen eam coniecturam non probo, quod non video, qui ad illum locum hi versus pertinere possint: nam ad nullam Dearum eos posse referri, ex fine eorum apparet. Ego in iis ornamenta venustatemque Briseidis describi coniicio: quippe quae descriptio variis de causis prope necessaria fuerit. Tzetzes (Antehom. 357.) hanc rem vocabulo *εὔστολος* significare fere videtur. Ceterum versu primo vulgo legitur *αὖραι*, *Ὧραι* Schweighaeuserus dedit. Versu quarto *ἔν τε ἴῳ* pro *ἐν τ' ἴῳ* scripsi. Sexto versu *ἄνθους* pro *ἄνθεσι* ex coniectura Schweig-

haecuseri recepi: quamquam ne haec quidem mihi satisfacit. Idem καλλιῤῥόον in καλλίχρον aut καλλιδρόσου mutare vult: quod non probo.

Alterum fragmentum autem, quod apud Athenaeum eodem loco exstat, ad Venerem et Paridis iudicium fortasse pertinet in primumque librum coniiciendum est.

Ἡ δὲ σὺν ἀμφιπόλοισι φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη
πλεξαμένη στεφάνους εὐώδεας, ἄνθεα γαίης,
ἂν κεφαλαῖσιν ἔθεντο θεαὶ λιπαροκρήδεμνοι,
Νύμφαι καὶ Χάριτες, ἅμα δὲ χρυσῆ Ἀφροδίτη,
καλὸν ἀείδουσαι κατ' ὄρος πολυπιδάκου Ἴδης.

Palamedem a Diomede et Ulysse aqua submersum esse e carmine Cyprio Pausanias narrat (l. X. 31, 1.). Plura de Palamede apud Heynium (v. Excurs. IV* ad Aen. II.) et Iacobsium (ad Tzetz. Antehom. 383.) leguntur.

Huic carmini a patria auctoris nomen inditum esse, iam supra monitum est, fuitque viris doctis et veteris et recentis aevi ea sententia probabilior (cf. Hemsterhus. ad Polluc. X. 85. Heyn. Excurs. I. ad Aen. II. p. 369. Biblioth. vett. litt. et art. fasc. Ined. p. 27. Schweighaeus. ad Athenaeum ll. cc.). Poeta incertus est (v. ll. cc.): alii Stasinum Cyprium, Homerum alii, alii denique alios nuncupant (v. ll. cc.).

In fine Hemsterhusii de carmine Cyprio iudicium, quod mihi admodum probatur, placet afferre. „Poetam Cyprii carminis nec arte nec ingenio destitutum ex fragminibus egregiis, quae hinc inde apud antiquos sunt dispersa, licet augurari (v. ad Polluc. l. c.).“ Cui iudicio Aristoteles (Poet. 23.) nequaquam repugnat.

21. Ὁ μ ή ρ ο υ Ἰ λ ι ά ς.

Ἐπιβάλλει δὲ τοῖς προειρημένοις Ἰλιάδα Ὁμήρου.

22. Α ἰ θ ι ο π ὶ ς Ἀ ρ κ τ ί ν ο υ.

Μεθ' ἣν (Ἰλιάδα) ἐστὶν Αἰθιοπίδος βιβλία πέντε Ἀρκτίνου Μιλησίου περιέχοντα τάδε·

α.

Ἀμαζὼν Πενθεσίλεια παραγίνεται Τρωσὶ συμμαχήσουσα, Ἄρεως μὲν θυγάτηρ, Θρᾷσσα δὲ τὸ γένος. καὶ κτείνει αὐτὴν ἀριστεύουσαν Ἀχιλλεύς. οἱ δὲ Τρῶες αὐτὴν θάπτουσι καὶ Ἀχιλλεὺς Θερσίτην ἀναιρεῖ λοιδορηθεὶς πρὸς αὐτοῦ καὶ ὀνειδισθεὶς τὸν ἐπὶ τῇ Πενθεσιλείᾳ λεγόμενον ἔρωτα. καὶ ἐκ τούτου στάσις γίνεται τοῖς Ἀχαιοῖς περὶ τοῦ Θερσίτου φόνου.

β.

Μετὰ δὲ ταῦτα Ἀχιλλεὺς εἰς Λέσβον πλεῖ καὶ θύσας Ἀπόλλωνι καὶ Ἀρτέμιδι καὶ Λητοῖ καθαίρεται τοῦ φόνου ὑπ' Ὀδυσσέως. Μέμνων δὲ ὁ Ἠοῦς υἱὸς ἔχων ἡφαιστότευκτον πανοπλίαν παραγίνεται τοῖς Τρωσὶ βοηθήσων. καὶ Θέτις τῷ παιδὶ τὰ κατὰ τὸν Μέμνονα προλέγει.

γ.

Καὶ συμβολῆς γενομένης Ἀντίλοχος ὑπὸ Μέμνονος ἀναιρεῖται, ἔπειτα Ἀχιλλεὺς Μέμνονα κτείνει. καὶ τούτῳ μὲν Ἠὼς παρὰ Διὸς αἰτησαμένη ἀθανασίαν δίδωσι.

δ.

Τρεψάμενος δ' Ἀχιλλεὺς τοὺς Τρῶας καὶ εἰς τὴν [πόλιν] εἰςπεσὼν ὑπὸ Πάριδος ἀναιρεῖται καὶ Ἀπόλλωνος. καὶ περὶ τοῦ πτώματος γενομένης ἰσχυρᾶς μάχης Αἴας ἀνελόμενος ἐπὶ τὰς ναῦς κομίζει, Ὀδυσσέως ἀπομαχομένου

τοῖς Τρωσίν. ἔπειτα Ἀντίλοχόν τε θάπτουσι καὶ τὸν νεκρὸν τοῦ Ἀχιλλέως προτίθενται· καὶ Θέτις ἀφικομένη σὺν Μούσαις καὶ ταῖς ἀδελφαῖς θρηνεῖ τὸν παῖδα.

ϛ.

Καὶ μετὰ ταῦτα ἐκ τῆς πυρᾶς ἡ Θέτις ἀναρπάσασα τὸν παῖδα εἰς τὴν Λευκὴν νῆσον διακομίζει. οἱ δὲ Ἀχαιοὶ τὸν τάφον χώσαντες ἀγῶνα τιθέασι. καὶ περὶ τῶν Ἀχιλλέως ὅπλων Ὀδυσσεῖ καὶ Αἴαντι στάσις ἐμπίπτει.

Annotationes.

Ad α.

In universum licet monere, Quintum Smyrnaeum et Tzetzam in Posthomericis Aethiopidem multum secutos esse: sed est haec res accuratius tractanda, quam hoc loco fieri potest.

De Penthesilea Troianis auxilia ferente Heynius loquitur ad Virg. Aen. I. v. 490. Exc. XIX.* Causas varias eius adventus Tzetzes novit (cf. Posthom. v. 10 ets.). Atque utinam tabula Iliaca integra exstaret, in qua multa teste inscriptione ex Aethiopide expressa erant! Quod si esset, argumentum Aethiopidis, quod sub initio admodum contractum est, facile amplificari et restitui posset. Penthesileae facta eo fuisse celebrata, e vocabulo ἀριστεύουσαν recte colligitur; eademque in tabula Iliaca expressa fuisse, frustulum nominis — κης significat, e quo Fabrettius non male Ποδάρκης restituit: hunc enim Penthesilea interfecit (cf. Quint. Smyrn. I. 237.). Deinde Achillis, qui Penthesileam caesam miseraretur, mentio fieri debuit, ut Thersitae iurgiis materia daretur. Omnes quotquot Thersitae mortem commemorant, eum rixatorem gladio aeque indignum aestimarunt (v. Quint. Smyrn. I. 742 ets. Tzetz. Post-

hom. 205.), qua in re Homerum sequuntur. Arctinus fusti caesum eum dixisse videtur (v. Tabula Iliaca).

Ad β.

Qui Achillem ab Ulysse lustratum esse dicat, scio alium neminem. Memnonis adventum Quintus I. v. 100 etss. enarrat. Arctinus videtur unicus esse, qui Thetidem de Memnone praedicentem fecit.

Ad γ.

Haec omnia apud Quintum leguntur; quamquam is multa de suis addidit: nonnulla etiam in tabula Iliaca expressa sunt.

Ad δ.

Εἰς τὴν † † deest vocabulum. Heynius *πόλιν* vel *πύλην* addit; alterutrum procul dubio verum est: Bekkerus *πόλιν* praetulit. Quamquam *ἐν ταῖς Σκαίαις πύλαις*, ut mater praedixerat, Achilles interfectus est (cf. Quint. III. 83. Tabul. Iliac. — Fragm. alius tabulae, de quo Tychsen. Comm. de Quint. p. LXX. 5.).

Ad ε.

Ita hoc argumentum in quinque suos libros divisi, quasi integram Aethiopidem contineat: quod tamen fine mutilum esse, certissimum est. Nam Aiacis mortem in Aethiopide expositam fuisse, Scholiasta Pindari (ad Isthm. IV. 58.) docet (cf. Annot. ad 23. *α.*). Ex eodem Scholiastae loco scriptorem Aethiopidis nonnunquam incertum habitum esse videmus; ceteri autem ad unum omnes Arctinum eum fuisse tradunt. Qui tabulam Iliacam fecit, multa ex hoc carmine expressit, eaque ex Aethiopide *κατὰ Ἀρκτῖνον τὸν Μιλήσιον* sumta esse dicit. Hieronymus in Chron. Euseb.

ad Ol. 3. ita scribit: Arctinus, qui Aethiopidem composuit, agnoscitur. De aetate Arctini veteres scriptores inter se discrepant et ipse Eusebius alio loco ad primam Olympiadem eum refert. Suidas (s. v. *Ἀρκτῖνος*) eundem in Ol. 9. ponit. *Ἀρκτῖνος Τήλεω, τοῦ Ναύτεω ἀπογόνου, Μιλήσιος, ἐποποιὸς, μαθητὴς Ὁμήρου, γεγονὼς κατὰ τὴν θ' Ὀλ., μετὰ τετρακόσια ἔτη τῶν Τρωϊκῶν.* A quibus Clemens Alexandrinus (Strom. I. p. 333) plane dissentit, Arctinum dicens cum Lesche concertasse ab eoque victum esse. Lesches Lesbius enim Ol. 33. floruit (v. Euseb. Chron.). Contra Dionysius Halicarnassensis (I. 68.) *παλαιότατος*, inquit, *ὧν ἡμεῖς ἴσμεν, ποιητὴς Ἀρκτῖνος* (cf. Scalig. Animadv. ad Euseb. Chron. p. 69. Ryck. Dissert. de prim. Ital. col. c. 10. p. 440.). Praeter Suidam etiam Tzetzes (Chil. XIII. 643.) Arctinum *Ὁμήρου μαθητὴν* (quod probe tenendum est) ex veterum scriptorum auctoritate dixit (cf. supra Part. post. sub init.).

Aethiopis, carminis nomen unice verum a Memnone, Aethiopum rege, ductum est. Idem carmen etiam Memnonem inscriptum esse et in tabula marmorea, cuius fragmentum ille illustrat (Bibl. vett. litt. et art. fasc. IV. p. 43.), significari, Heerenii coniectura improbabilis est.

23. *Ἰλιὰς μικρά.*

Ἑξῆς δ' ἐστὶν Ἰλιάδος μικρᾶς βιβλία τέσσαρα Λέσχεω Μυτιληναίου περιέχοντα τάδε.

α.

Ἡ τῶν ὅπλων κρίσις γίνεται, καὶ Ὀδυσσεὺς κατὰ βούλησιν Ἀθηνᾶς λαμβάνει. Αἴας δὲ ἐμμανὴς γενόμενος τήν τε λείαν τῶν Ἀχαιῶν λυμαίνεται καὶ ἑαυτὸν ἀναιρεῖ. μετὰ

ταῦτα Ὀδυσσεὺς λοχήσας Ἕλενον λαμβάνει, καὶ χρήσαντος περὶ τῆς ἁλώσεως τούτου Διομήδης ἐκ Λήμνου Φιλοκτήτην ἀνάγει. ἰαθεὶς δὲ οὗτος ὑπὸ Μαχάονος καὶ μονομαχήσας Ἀλεξάνδρῳ κτείνει. καὶ τὸν νεκρὸν ὑπὸ Μενελάου καταικισθέντα ἀνελόμενοι θάπτουσιν οἱ Τρῶες.

β.

Μετὰ δὲ ταῦτα Δηΐφοβος Ἑλένην γαμεῖ. καὶ Νεοπτόλεμον Ὀδυσσεὺς ἐκ Σκύρου ἀγαγὼν τὰ ὅπλα δίδωσι τὰ τοῦ πατρός. καὶ Ἀχιλλεὺς αὐτῷ φαντάζεται. Εὐρύπυλος δὲ ὁ Τηλέφου ἐπίκουρος τοῖς Τρωσὶ παραγίνεται, καὶ ἀριστεύοντα αὐτὸν ἀποκτείνει Νεοπτόλεμος.

γ.

Καὶ οἱ Τρῶες πολιορκοῦνται. καὶ Ἐπειὸς κατ᾽ Ἀθηνᾶς προαίρεσιν τὸν δούρειον ἵππον κατασκευάζει. Ὀδυσσεὺς δὲ αἰκισάμενος ἑαυτὸν κατάσκοπος εἰς Ἴλιον παραγίνεται καὶ ἀναγνωρισθεὶς ὑφ᾽ Ἑλένης περὶ τῆς ἁλώσεως τῆς πόλεως συντίθεται. κτείνας τέ τινας τῶν Τρώων ἐπὶ τὰς ναῦς ἀφικνεῖται. καὶ μετὰ ταῦτα σὺν Διομήδει τὸ Παλλάδιον ἐκκομίζει ἐκ τῆς Ἰλίου.

δ.

Ἔπειτα εἰς τὸν δούρειον ἵππον τοὺς ἀρίστους ἐμβιβάσαντες τάς τε σκηνὰς καταφλέξαντες οἱ λοιποὶ τῶν Ἑλλήνων εἰς Τένεδον ἀνάγονται. οἱ δὲ Τρῶες τῶν κακῶν ὑπολαβόντες ἀπηλλάχθαι τόν τε δούρειον ἵππον εἰς τὴν πόλιν εἰςδέχονται, διελόντες μέρος τι τοῦ τείχους, καὶ εὐωχοῦνται ὡς νενικηκότες τοὺς Ἕλληνας.

Annotationes.

Ad α.

Initium huius carminis Herodotus personatus in Vita Homeri (c. 16. p. V. ed. Barnes.) servat:

Ἴλιον ἀείδω καὶ Δαρδανίην εὔπωλον
ἧς πέρι πολλὰ πάθον Δαναοὶ θεράποντες Ἄρηος.

In priori versu Wolfius (ad Calc. Odyss.) *κλυτόπωλον* legit; unde, nescio. Ceterum Salmasii commentum (in Solin.), *Ἰλιάδα τὴν ἐλάσσω*, ex qua hos versus sumtos esse Herodotus dicit, carmen Cyprium esse, non Iliadem parvam, si refutatione dignum est, alii satis refutarunt.

Quatuor versus alii apud Scholiastam Aristophanis (ad Equit. 1055) leguntur: quos cum ipso Scholio, quum ex eo intelligi possit, quomodo Lesches in enarrando armorum iudicio versatus sit, adscribere placet. Aristophanis autem versus, ad quem Scholium pertinet, hic est:

Καί κε γυνὴ φέροι ἄχθος, ἐπεί κεν ἀνὴρ ἀναθείη.

Διεφέροντο περὶ τῶν ἀριστείων ὅ τε Αἴας καὶ ὁ Ὀδυσσεύς, ὥς φησιν ὁ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα πεποιηκώς. τὸν Νέστορα δὲ συμβουλεῦσαι τοῖς Ἕλλησι, πέμψαι τινὰς ἐξ αὐτῶν ὑπὸ τὰ τείχη τῶν Τρώων ὠτακουστήσοντας περὶ τῆς ἀνδρείας τῶν προειρημένων ἡρώων. τοὺς δὲ πεμφθέντας ἀκοῦσαι παρθένων διαφερομένων πρὸς ἀλλήλας. ὧν τὴν μὲν λέγειν, ὁ Αἴας πολὺ κρείττων ἐστὶ τοῦ Ὀδυσσέως, διερχομένην οὕτως·

Αἴας μὲν γὰρ ἄειρε καὶ ἔκφερε δηϊοτῆτος
ἥρω Πηλεΐδην, οὐδ' ἤθελε δῖος Ὀδυσσεύς.

τὴν δὲ ἑτέραν ἀντειπεῖν Ἀθηνᾶς προνοίᾳ.

Πῶς ἐπεφωνήσω; πῶς οὐ κατὰ κόσμον ἔειπες;
καί κε γυνὴ φέροι ἄχθος, ἐπεί κεν ἀνὴρ ἀναθείη.

Alterum Scholium ad haec adiicit: *τοῦτο ἐκ τοῦ κύκλου ἀφείλκυσται·* quod novum argumentum accedit, Iliadem parvam in cyclo fuisse. Ex hoc Soholio autem etiam illud discitur, quid argumenti verba *καὶ*

Ὀδυσσεὺς κατὰ βούλησιν Ἀθηνᾶς λαμβάνει (τὰ ὅπλα) sibi velint. Simili fere modo Quintus Smyrnaeus (V. 127 etss.) armorum iudicium describit, sed ita tamen, ut captivos Troianos, qui iudices facti sint, Ulyssi arma adiudicasse dicat. Quintus autem e cyclicis hanc rem petivit, ut e Scholio ad Odyss. λ. 547. apparet: quare quum in Iliade parva aliter haec tractata esse videamus, ego nihil dubito, quin ex Aethiopide Arctini, quem Quintus plerumque sequi solet, illud Scholium haustum sit. Et fortasse etiam Sophocles in Aiace Arctinum in argumento fabulae sequitur.

Ad. *β*.

Huc fortasse Scholium ad Homeri Iliad. τ. 338. de Neoptolemi genere et nomine pertinet.

Ad *γ*.

Ulysses et Diomedes, qui Palladium ex Ilio ferunt, in tabula Iliaca ex hoc carmine expressi videntur. Huc *Διομήδειος ἀνάγκη* apud Suidam, Hesychium aliosque pertinet (cf. Heynii Exc. IV** ad Aen. II. p. 392.).

Librorum notas cum Tychsenio (Comment. de Quinto Smyrn. p. LXVI.) et Iacobsio (Comment. de Tzetz. carm. p. XXI.) ita adscripsi, quasi argumentum carminis integrum sit: verum et initium admodum contractum et mutilum videtur et in fine multa desunt. In argumentis horum carminum describendis excerptoris operam consiliumque postrema verba prioris argumenti et huius initium satis produnt. Illa sic se habent: *Καὶ περὶ τῶν Ἀχιλλέως ὅπλων Ὀδυσσεῖ καὶ Αἴαντι στάσις ἐμπίπτει.* Et huius initium: *Ἡ τῶν ὅπλων*

κρίσις γίνεται. Verum neque Arctinus, ut vidimus, narrationem sic abrupit; neque Lesches ab ipso iudicio inficete et abrupte incipere potuit. Deinde argumentum finem Iliadis parvae in eo ponit, quod Troiani equo in urbem recepto conviviis indulgent, quasi liberi ipsi a periculis et Graeci victi sint. Sed longius id productum esse, ex eo apparet, quod complures veterum scriptorum (v. Clement. Alex. Strom. I. p. 236. Tzetz. ad Lycophr. 344. Id. in Posthom. 773. Schol. ad Eurip. Hec. v. 892. ed. Matth.) Leschis versu ex Iliade parva sumto Troiam captam esse docent, quum

Νὺξ μὲν ἔην μέσση, λαμπρὴ δ' ἐπέτελλε σελήνη.

Huc accedit, quod Aristoteles praeter alia tragoediarum argumenta, quae ex Iliade parva peti possint, etiam *Ἰλίου πέρσιν, καὶ ἀπόπλουν, καὶ Σίνωνα, καὶ Τρῳάδας* enumerat (v. Poet. 23.). Haec autem ad Troiae excidium pertinent. Deinde Tzetzes ad Lycophronem (v. 1263. cf. ad v. 1232.) ex Iliade parva de fatis Troiae ultimis undecim hosce versus profert:

Αὐτὰρ Ἀχιλλῆος μεγαθύμου φαίδιμος υἱὸς
Ἑκτορέην ἄλοχον κατάγει κοίλας ἐπὶ νῆας·
παῖδα δ' ἑλὼν ἐκ κόλπου ἐϋπλοκάμοιο τιθήνης
ῥίψε ποδὸς τεταγὼν ἀπὸ πύργου· τὸν δὲ πεσόντα
ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή.
ἐκ δ' ἕλετ' Ἀνδρομάχην, ἠΰζωνον παράκοιτιν
Ἕκτορος, ἥντε οἱ αὐτῷ ἀριστῆες Παναχαιῶν
δῶκαν ἔχειν ἐπίηρον ἀμειβόμενοι γέρας ἀνδρί.
αὐτόν τ' Ἀγχίσαο γόνον κλυτὸν ἱπποδάμοιο,
Αἰνείαν, ἐν νηυσὶν ἐβήσατο ποντοπόροισιν,
ἐκ πάντων Δαναῶν ἀγέμεν γέρας ἔξοχον ἄλλων.

Fortasse etiam fragmentum de Achillis telo, quod apud Scholiastam Pindari (ad Nem. VI. 85.) legitur, huc referendum est.

'Ἀμφὶ δὲ πόρκης
χρύσεος ἀστράπτει, καὶ ἐπ' αὐτῷ δίκροος ἄρδις.

Vocabulum ἄρδις ex coniectura optima Iosephi Scaligeri est (v. ad. Euseb. Chronic. p. 82.): nam δίη nihil est. Heynius (ad Virg. Aen. II. Exc. I.) minus probabiliter αἰχμή coniicit. Haec omnia autem Proclus ignorat, aut certe in argumento ex Chrestomathia eius excerpto non leguntur. Pausanias autem Iliadem parvam et Leschis Ilii persin tam clare distinguit, ut ea carmina a diversis poetis composita esse statuat; nam Iliadis auctorem pro incerto habet (v. X. 26. 1. III. 26. 7. et al.). Porro idem Pausanias (l. X. 25. post med.) e Leschis Ilii excidio easdem res narrat, quas Tzetzes (l. c.) e Leschis Iliade parva versibus ipsis adscriptis affert. Ergo repugnantia in aperto est. Itaque ego sic statuo. Lesches uno carmine in quatuor pluresve libros diviso fabulas Troicas inde ab Achillis armorum iudicio usque ad Troiae novissima fata exposuit. Pars huius Iliadis parvae posterior Troiae excidium comprehendebat et inde ab equo Troiano res sic enarrabat, ut pro novo carmine haberi posset inscribereturque Ἰλίου πέρσις: qualia in multis carminibus facta esse videmus. Inde facile accidit, ut Ilias parva, sicut alia carmina, in duas partes divelleretur. Pausanias igitur et fortasse etiam alii Iliadem parvam et Leschis Ilii persin, proprie Iliadis parvae particulas, pro diversis carminibus habuerunt; contra Aristoteles et ii, e quibus Tzetzes aliique supra laudati sua hauriebant, duas particulas in unum carmen adhuc coniunctas legerunt. Cum Pausania Proclus consentit, nisi argumentum ab excerptore mutilatum est. Si autem Proclus particulas disiunctas habuit, integra Ilias parva quinque vel pluribus libris constitisse debet. Sed utrumcunque verum est, illud

inde omnino improbabile fit, quod Heynius et Hermannus aliique putant, Proclum vel potius excerptorem argumentum Ἰλίου πέρσεως Leschis in eo folio codicis exhibuisse, quod post argumentum Ἰλίου πέρσεως Arctini excidisse dicitur (v. Biblioth. vett. litt. et art. fasc. I. Ined. p. 39. ets. Hermann. ad Aristot. Poet. p. 172. ets.). Quae enim probabilis causa excogitari potest, cur Proclus, qui Iliadem parvam et Ilii persin (si eas partes separatas habebat) Leschi adscribebat eaque carmina artissime inter se cohaerentia, sicut Aristoteles, videre debebat, cur ille, inquam, haec carmina interposito Arctini Troiae excidio tam absurde et insulse divulserit?

Ἰλιὰς hoc carmen eodem iure, quo Homeri epos celeberrimum, inscriptum est; a quo ut distinguatur, epitheton μικρά vel ἐλάσσων (cf. Vit. Homer. c. 16.) additum est. Aristoteles hoc poema, ut alia, in compositione et descriptione vituperat (Poet. 23.); in singulis partibus id non prorsus vituperabile fuisse, ex versibus pulcris et politis, qui supersunt, facile intelligitur.

Auctorem Iliadis parvae Aristoteles (l. c.) et Pausanias (ll. cc.) aliique pro incerto habent (v. Schol. ad Aristoph. l. c. Clement. Alex. Strom. I. p. 236. Tzetz. ad Lycophr. l. c. et al.). Proclus autem Leschem Mytilenaeum auctorem nominat. Et Hieronymus in Chron. Euseb. ad Ol. 33. sic scribit: „Lesches Lesbius, qui parvam fecit Iliadem, agnoscitur.“ Qui tabulam Iliacam fecit, contra Procli auctoritatem Leschem Pyrrhaeum esse dicit; eique Pausanias (X. 25. 2.) accedit: Λέσχεως ὁ Αἰσχυλήνου Πυῤῥαῖος. Quum Pyrrha urbs Lesbi minus clara sit, haec diversitas ne-

mini, qui harum rerum paululum peritus est, mira videbitur. Ceterum ego Leschi sive Lescheo Iliadem parvam adscripserim propterea, quod Pausanias quamvis invitus mihi accedit. Praeterea autem etiam Homero hoc carmen interdum adscribitur (v. Vit. Homer. l. c. Suidas s. v. Ὅμηρος.).

24. *Ἰλίου πέρσις.*

Ἕπεται δὲ τούτοις Ἰλίου περσίδος βιβλία δύο Ἀρκτίνου Μιλησίου περιέχοντα τάδε·

α.

Ὡς τὰ περὶ τὸν ἵππον οἱ Τρῶες ὑπόπτως ἔχοντες περιστάντες βουλεύονται ὅ τι χρὴ ποιεῖν, καὶ τοῖς μὲν δοκεῖ καταχρημνίσαι αὐτόν, τοῖς δὲ καταφλέγειν, οἱ δὲ ἱερὸν αὐτὸν ἔφασαν δεῖν τῇ Ἀθηνᾷ ἀνατεθῆναι· καὶ τέλος νικᾷ ἡ τούτων γνώμη. τραπέντες δὲ εἰς εὐφροσύνην εὐωχοῦνται ὡς ἀπηλλαγμένοι τοῦ πολέμου. ἐν αὐτῷ δὲ δύο δράκοντες ἐπιφανέντες τόν τε Λαοκόωντα καὶ τὸν ἕτερον τῶν παίδων διαφθείρουσιν. ἐπὶ δὲ τῷ τέρατι δυςφορήσαντες οἱ περὶ τὸν Αἰνείαν ὑπεξῆλθον εἰς τὴν Ἴδην. καὶ Σίνων τοὺς πυρσοὺς ἀνίσχει τοῖς Ἀχαιοῖς πρότερον εἰςεληλυθὼς προςποίητος. οἱ δὲ ἐκ Τενέδου προςπλεύσαντες καὶ οἱ ἐκ [τοῦ] δουρείου ἵππου ἐπιπίπτουσι τοῖς πολεμίοις καὶ πολλοὺς ἀνελόντες τὴν πόλιν κατὰ κράτος λαμβάνουσι.

β.

Καὶ Νεοπτόλεμος μὲν ἀποκτείνει Πρίαμον ἐπὶ τὸν τοῦ Διὸς τοῦ ἑρκείου βωμὸν καταφυγόντα· Μενέλαος δὲ ἀνευρὼν Ἑλένην ἐπὶ τὰς ναῦς κατάγει, Δηΐφοβον φονεύσας. Κασσάνδραν δὲ Αἴας Ὀϊλέως πρὸς βίαν ἀποσπῶν συνεφέλκεται τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ξόανον. ἐφ' ᾧ παροξυνθέντες οἱ Ἕλληνες καταλεῦσαι βούλονται τὸν Αἴαντα. ὁ δὲ ἐπὶ τὸν τῆς Ἀθηνᾶς βωμὸν καταφεύγει καὶ διασώζεται ἐκ τοῦ ἐπι-

χειμένου κινδύνου. ἔπειτα ἀποπλέουσιν οἱ Ἕλληνες, καὶ φθορὰν αὐτοῖς ἡ Ἀθηνᾶ κατὰ τὸ πέλαγος μηχανᾶται.

Annotationes.

Ad α.

Hoc argumentum statim ab initio vix integrum est; nam Dionysius Halicarnassensis (I. 68.) haec scribit: Ἀρκτῖνος δέ φησιν ὑπὸ Διὸς δοθῆναι Δαρδάνῳ παλλάδιον κ. τ. λ. Quod mihi quidem ad huius carminis initium referendum videtur, quum alius locus sit nullus, quo commode id referri possit (cf. Heyn. Exc. I. ad Aen. II. p. 371.).

Ex hoc eodem loco illud petitum esse coniicio, quod Scholiasta ad Odyss. δ. 285. de heroibus in equo Troiano inclusis e cyclo narrat: quamquam nolo negare eam rem etiam ex Iliade parva posse sumtam esse. Et paene dixerim, quinque illos versus, quos Aristarchus spurios esse iudicabat, e nostro carmine in Odysseam translatos esse. Sic Odyss. λ. v. 547., quem Aristarchus et Wolfius improbant, ad finem Aethiopidis pertinere suspicor (cf. ad 23. α.). Mihi enim complures illorum versuum, quos Rhapsodis aliisve critici vulgo assignant, ex antiquis carminibus epicis petiti esse fere videntur.

Fragmentum huius carminis aliud apud Eustathium (p. 859. 44. cf. Lobeck. ad Soph. Aiac. p. 263.) legitur et in Scholiis Victor. (ad Iliad. λ. 515. cf. ibi Heyn. Tom. VI. p. 631.). Heynius et Lobeckius, nescio quo errore, eos versus ad Aiacis mortem referunt: sed de hac re in Aethiopide, non in Ἰλίου πορθήσει sive πέρσει, scriptum erat. Nec per se quidem (etsi Scholiastae auctoritatem negligamus) propter ul-

timos duo versus hoc fragmentum ad Aiacem referri potest.

Ad β.

Quotiescunque hanc particulam perlegi, non potui quin nimis exiguam eam existimarem et suspicio mihi suboriretur, illam vel summis et primariis rebus, quae carmine tam certo, quam quidquam certum est, expositae erant, carere. Noli enim putare de Astyanacte, Andromacha ceterisque captivis utriusque sexus et de praeda distributa Arctinum nullam omnino mentionem fecisse. Haec omnia ne Proclus quidem, sed insulsus excerptor omisit. Qui tamen quum fabularum filum interrumpi et nullum aliud carmen, quo Troiae ultima fata enarrarentur, sequi videret, ea quae omiserat, separata et praeter ordinem argumento iam absoluto adiecit. Hoc illud frustulum procul dubio est, quod in cod. Venet. statim post argumentum carminis nostri legitur (v. Biblioth. vett. litt. et art. fasc. I. Ined. p. 30.). Hanc opinionem complura confirmant et prope indubitabilem reddunt. Nam primum illi fragmento et initium et finis deest. Si solum initium deesset, inde non multum efficeretur: nam tertium folium Cod. Venet. excidisse et in summo quarto hoc fragmentum legi, Siebenkeesius monet (cf. Bibl. l. c.). Verum licet illud folium exciderit, magna tamen quaestio est, num in eo ulla usquam pars horum argumentorum lecta sit. Deinde autem eae ipsae res, quae in argumento Ἰλίου πέρσεως desiderantur, in fragmento leguntur; contra nihil eorum, quae fragmentum continet, in argumento invenitur. Postremo si quae fragmentum suppeditat, iustis locis argumenti inseruntur; Quintus Smyrnaeus (libr. XIII. ets.) Arctini Ἰλίου πέρσιν (si rhetorica ornamenta

quaeque recentiorum figmentorum speciem prae se ferunt et Quinto ipsi debentur, detraxeris) omnino sequitur. Quae res propterea hic maximi momenti est, quod ille Homerista Arctinum fere ubique sequitur. Itaque secundum Quintum argumentum huius carminis sic restituerim.

Καὶ Νεοπτόλεμος μὲν ἀποκτείνει Πρίαμον ἐπὶ τὸν τοῦ Διὸς τοῦ ἑρκείου βωμὸν καταφυγόντα. (καὶ Ὀδυσσέως Ἀστυάνακτα ἀνελόντος Νεοπτόλεμος Ἀνδρομάχην γέρας λαμβάνει, καὶ τὰ λοιπὰ λάφυρα διανέμονται.) Μενέλαος δὲ ἀνευρὼν Ἑλένην ἐπὶ τὰς ναῦς κατάγει Δηΐφοβον φονεύσας. — — — —

— — — ἐκ τοῦ ἐπικειμένου κινδύνου. (Δημοφῶν τε καὶ Ἀκάμας Αἴθραν εὑρόντες ἄγουσι μεθ᾽ ἑαυτῶν. ἔπειτα ἐμπρήσαντες τὴν πόλιν Πολυξένην σφαγιάζουσιν ἐπὶ τὸν τοῦ Ἀχιλλέως τάφον.) Ἔπειτα ἀποπλέουσιν οἱ Ἕλληνες καὶ φθορὰν αὐτοῖς ἡ Ἀθηνᾶ κατὰ τὸ πέλαγος μηχανᾶται.

Fragmenti particulas distinguendi causa uncis inclusi.

Videmus igitur quam parum probabilitatis eorum opinio habeat, qui in folio codicis deperdito aliarum *Ἰλίου πέρσεων* argumenta lecta esse opinantur. Neque una quidem alia *Ἰλίου πέρσις* nota est, cuius argumentum Proclus conficere et Grammaticus inde excerpere potuerit. Nam quid de Leschis Ilii excidio statuendum sit, supra vidimus (cf. Hermann. ad Aristot. Poet. p. 172.). Et Stesichori Sacadaeque *Ἰλίου πέρσεις* nemo ad hunc locum referet, qui carmina lyrica ea fuisse non ignorat (cf. Heyn. Exc. I. ad Aen. II. p. 370. 372.). Itaque nemo hinc colligere debet, plura carmina eiusdem argumenti et nominis in cyclo simul posita fuisse.

25. Νόστοι.

Συνάπτει δὲ τούτοις τὰ τῶν Νόστων βιβλία πέντε Αὐγίου Τροιζηνίου περιέχοντα τάδε·

Ἀθηνᾶ Ἀγαμέμνονα καὶ Μενέλαον εἰς ἔριν καθίστησι περὶ τοῦ ἔκπλου. Ἀγαμέμνων μὲν οὖν τὸν τῆς Ἀθηνᾶς ἐξιλασόμενος χόλον ἐπιμένει. Διομήδης δὲ καὶ Νέστωρ ἀναχθέντες εἰς τὴν οἰκείαν διασώζονται. μεθ' οὓς ἐκπλεύσας ὁ Μενέλαος μετὰ πέντε νεῶν εἰς Αἴγυπτον παραγίνεται τῶν λοιπῶν διαφθαρεισῶν νεῶν ἐν τῷ πελάγει. οἱ δὲ περὶ Κάλχαντα καὶ Λεοντέα καὶ Πολυποίτην πεζῇ πορευθέντες εἰς Κολοφῶνα Τειρεσίαν ἐνταῦθα τελευτήσαντα θάπτουσι.

Τῶν δὲ περὶ τὸν Ἀγαμέμνονα ἀποπλεόντων Ἀχιλλέως εἴδωλον ἐπιφανὲν πειρᾶται διακωλύειν, προλέγον τὰ συμβησόμενα. εἶθ' ὁ περὶ τὰς Καφηρίδας πέτρας δηλοῦται χειμὼν καὶ ἡ Αἴαντος φθορὰ τοῦ Λοκροῦ. Νεοπτόλεμος δὲ Θέτιδος ὑποθεμένης πεζῇ ποιεῖται τὴν πορείαν καὶ παραγενόμενος εἰς Θρᾴκην Ὀδυσσέα καταλαμβάνει ἐν Μαρωνείᾳ καὶ τὸ λοιπὸν ἀνύει τῆς ὁδοῦ. καὶ τελευτήσαντα Φοίνικα θάπτει. αὐτὸς δὲ εἰς Μολοσσοὺς ἀφικόμενος ἀναγνωρίζεται Πηλεῖ. . . . Ἀγαμέμνονος ὑπὸ Αἰγίσθου καὶ Κλυταιμνήστρας ἀναιρεθέντος ὑπ' Ὀρέστου καὶ Πυλάδου τιμωρία, καὶ Μενελάου εἰς τὴν οἰκείαν ἀνακομιδή.

Plures olim *Νόστους* et *Νόστων* auctores exstitisse, iam Suidas docuit (s. v. *Νόστος*. cf. Groddeck. Init. Histor. Gr. litt. Tom. I. p. 36.). Qui *Νόστους κυκλικοὺς* scripsisse dicitur, Augiam Troezenium praeter Proclum vix quisquam novit. Nam eundem illum esse atque Comicum, Groddeckius et Mohnikius (v. eorum libbr. de Histor. Gr. litt.) et si qui alii sunt eiusdem sententiae, nemini facile persuadebunt. Fortasse tamen idem Augias est, quem Clemens Alexandrinus laudat cuiusque

versum unum, qui speciem quandam antiquitatis habet, servat (Strom. l. VI. p. 264. ed. Sylb.). Sed quamquam *Νόστοι*, quotquot fuerunt, haud frequenter lecti esse videntur (nam raro Scholiastae aliique scriptores ex iis aliquid afferunt); tamen mirum sane est, quod Augiae, qui *Νόστους* scripserit, mentionem nemo alius facit; si ab omnibus cyclicorum *Νόστων* auctor habitus sit. Quibus rebus inductus ego *Νόστους*, quorum auctorem Proclus Augiam dicit, eosdem esse suspicor, quos alii incerto poetae, alii Homero adscribunt (cf. Suid. s. v. *Ὅμηρος*.). Quae coniectura si cui temeraria videatur, cogitet velim, nullum omnino epos cyclicum esse praeter Telegoniam (quae minus etiam nota est), cuius auctor certus et exploratus ab omnibus habeatur: nisi quis de carminibus Homericis id velit praedicare. Fortasse igitur Pausanias (X. 28 extr.) carmen nostrum respexit. Porro e Nostis incerti poetae tres versus in argumento Medeae servantur, quos, quamquam ad Medeam, de qua in argumento nostro nulla mentio fit, ii pertinent, ex his Nostis sumtos esse suspicor: nam argumentum nostrum tam exile et ieiunum est, ut ne primarias quidem res contineat. Illi versus autem hi sunt:

Αὐτίκα δ᾽ Αἴσονα θῆκε (Μήδεια) φίλον κόρον ἡβώοντα,
γῆρας ἀποξύσασ᾽ εἰδυίῃσι πραπίδεσσιν,
φάρμακα πόλλ᾽ ἕψουσ᾽ ἐπὶ χρυσείοισι λέβησιν.

Scholiasta Aristophanis (ad Eq. 1318.) *ἰδυίῃσι* pro *εἰδυίῃσι* habet, eamque lectionem Elmsleius (in Not. ad Med.) meliorem esse dicit, si modo *ἀποξύσασα* scribatur habita ratione litterae Digamma. Verum in quaestionibus grammaticis huius litterae ratio omnino haberi debet, nec potest negare quisquam etiam in epica poesi priscis temporibus eam fuisse ac pronuntiatam

esse: si quis vero, ut Knightius iste, eam in editiones veterum carminum recipit vel talem ubique lectionem indagare studet, ut per versum eam litteram pronuntiare liceat; magnae temeritatis crimen iustissimum sibi facit. Etiam hoc in loco, ut ubique, sapientia Wolfii praecipue laudanda et imitanda est. Non inficete Aug. Guil. Schlegelius huius litterae aucupes deridet (Biblioth. Indic. Vol. I. fasc. 3. p. 290.). Ceterum adhuc monendum est, Thierschium in Act. Monac. Tom. p. 583. affirmare in Cod. Venet. Hagias, non Augias, scriptum esse. Et vehementer quidem desideravi, quae doctus ille vir ad Locos Proclianos annotavit; verum eius liber mihi in promptu non est.

26. Ὁμήρου Ὀδύσσεια.

Μετὰ ταῦτά ἐστιν Ὁμήρου Ὀδύσσεια.

27. Τηλεγονία.

Ἔπειτα Τηλεγονίας βιβλία δύο Εὐγάμμωνος Κυρηναίου περιέχοντα τάδε.

Οἱ μνήστορες ὑπὸ τῶν προσηκόντων θάπτονται. καὶ Ὀδυσσεὺς θύσας Νύμφαις εἰς Ἦλιν ἀποπλεῖ ἐπισκεψόμενος τὰ βουκόλια καὶ ξενίζεται παρὰ Πολυξένῳ δῶρόν τε λαμβάνει κρατῆρα καὶ ἐπὶ τούτου τὰ περὶ Τροφώνιον καὶ Ἀγαμήδην καὶ Αὐγέαν. ἔπειτα εἰς Ἰθάκην καταπλεύσας τὰς ὑπὸ Τειρεσίου ῥηθείσας τελεῖ θυσίας. καὶ μετὰ ταῦτα εἰς Θεσπρωτοὺς ἀφικνεῖται καὶ γαμεῖ Καλλιδίκην, βασιλίδα τῶν Θεσπρωτῶν. ἔπειτα πόλεμος συνίσταται τοῖς Θεσπρωτοῖς πρὸς Βρύγους Ὀδυσσέως ἡγουμένου. ἐνταῦθα Ἄρης τοὺς περὶ τὸν Ὀδυσσέα τρέπεται. καὶ αὐτῷ εἰς μάχην Ἀθηνᾶ καθίσταται. τούτους μὲν Ἀπόλλων διαλύει· μετὰ δὲ τὴν Καλλιδίκης τελευτὴν τὴν μὲν βασιλείαν διαδέχεται Πολυποίτης ὁ Ὀδυσσέως υἱός, αὐτὸς δὲ εἰς Ἰθά-

κην ἀφικνεῖται. κἂν τούτῳ Τηλέγονος εἰς ζήτησιν τοῦ πατρὸς πλέων, ἀποβὰς εἰς τὴν Ἰθάκην, τέμνει τὴν νῆσον. ἐκβοηθήσας δ' Ὀδυσσεὺς ὑπὸ τοῦ παιδὸς ἀναιρεῖται κατ' ἄγνοιαν. Τηλέγονος δὲ ἐπιγνοὺς τὴν ἁμαρτίαν τό τε τοῦ πατρὸς σῶμα καὶ τὸν Τηλέμαχον καὶ τὴν Πηνελόπην πρὸς τὴν μητέρα καθίστησιν. ἡ δὲ αὐτοὺς ἀθανάτους ποιεῖ, καὶ συνοικεῖ τῇ μὲν Πηνελόπῃ Τηλέγονος, Κίρκῃ δὲ Τηλέμαχος.

Ex argumenti initio carmen ipsum ab his rebus exordium cepisse, nemo colliget, qui quae ante dicta sunt, recte perpendit. De Eugammone Cyrenaeo locos veteres Heynins congessit (v. Bibl. vett. litt. et art. fasc. I. Ined. p. 43 ets. cf. Boeckhius ad Pindar. Tom. II. Part. II. p. 294.). Aetatem Eugammonis, cyclicorum quot scimus recentissimi, ex Eusebio discimus. Nam Hieronymus in Chron. Euseb. ad Ol. LIII. dicit: Eugammon Cyrenaeus, qui Telegoniam scripsit, agnoscitur. Praeterea etiam Cinaethonis Telegonia commemoratur. cf. Euseb. ad Ol. V. ibiq. Scaliger. p. 73. Heeren. Bibl. vett. litt. et. art. fasc. IV.

Theses controversae
ad
disputandum propositae.

I.

Summum in Philologia locum interpretatio tenet.

II.

Accentus vocabulorum vis vitalis est.

III.

In pronuntiatione vocabulorum syllabas productas duarum brevium spatium omnino implere, falsum est.

IV.

Genitivi et Ablativi absoluti, qui vocantur, nulli sunt.

V.

Falsum est, in sermone Latino ἐμφατικώτατον quodque vocabulum primum locum tenere.

VI.

In derivandis vocabulis, non in legendis aut scribendis, litterae digamma ratio habenda est.

VII.

Qui Latinae linguae originem in Graeca quaerunt, aeque perverse faciunt et illi, qui in contrariam sententiam discedunt.

VIII.

Cornelii Nepotis librum de Vita excellentium imperatorum epitomen esse, falsum est.

IX.

Polycleti Canon et Doryphorus idem opus fuit. Locus Plinianus (XXXIV, 8.) corruptus est.

X.

Quae Xenophon et Plato de Socratis daemonio tradunt, ea inter se prorsus discrepant.

XI.

Phantasiae natura anticritica est.

XII.

Phantasiae divisio in productivam et reproductivam nullius momenti est.

XIII.

Notionum contradictoria oppositio nulla est.

XIV.

Nemo Paedagogus vel Paedagogicus, nisi Psychologus.

XV.

Diversa artis criticae genera statuere, ut philologicae, doctrinalis, rhetoricae quaeque sunt similia, falsum est.

XVI.

Tria sunt genera poesis: didacticum genus est nullum.

XVII.

Vis praecipua Geometriae ad excolendum hominis ingenium in moderatione phantasiae posita est.

XVIII.

Mathesis divisio in puram et applicatam falsa est.

XIX.

Qui nullam linguam penitus cognitam habet, recte colere disciplinas potest nullas.

XX.

Veritas per se homini nullius pretii est.

XXI.

Quicunque non propter summam hominis culturam litteras colunt, baiuli sunt.